FRANEQUERAE
Excudit FRANCISCUS HAYA.
MDCCIV.

TOBIAE GUTBERLETHI

JURISCONSULTI

DE

SALIIS

MARTIS SACERDOTIBUS

apud

ROMANOS,

Liber Singularis.

In quo Sacerdotes Salii eorumque Sacra accurate describuntur, Fragmenta carminum Saliarium illustrantur, multi Veterum Scriptorum loci, Inscriptiones, Numismata explicantur & emendantur, ac varii ritus antiqui eruuntur.

Cum figuris æneis.

FRANEKERÆ,

Excudit FRANCISCUS HALMA, Illustr. Frisiæ Ordd. atque Eorund. Academiæ Typograph. Ordinar.

MDCCIV.

ILLUSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
COMITI
GUSTAVO
CARLSON,
COMITI BORINGÆ, DOMINO
DE LINTHOLM, ETC. ETC.

S. P. D.
FRANCISCUS HALMA.

QUANTO cum omnium literas amantium dolore ereptus nobis sit nuper Vir eruditus TOBIAS GUTBERLE-

LETHUS, & ſcis, & ſentis, ILLUSTRISSIME COMES, quo nemo melius ejus præclaras dotes & virtutes perſpicere potuit, quas egregie florentes, & magna jam minantes acerba mors intercepit. Ea fuit fati vis, ut certo conſilio videatur hoc vitæ lumen extinxiſſe, ac ſi præclaro Viro nihil eſſet quod ultra ageret in hoc orbe, poſtquam Illuſtris Græuius, quem unice amaverat, cujus divinum pectus religioſe ſemper coluerat, acquieviſſet. Nunc ad Te mitto, quod ipſe facere non potuit, hos libellos, qui

qui, utinam feciſſet Deus immortalis! ut non per meas, ſed ipſius GUTBERLETHI manus in conſpectum tuum veniſſent. Veniam tamen dabis conſilio meo, cujus cauſam ipſe præbuiſti, ſuſcepto jam pridem fœtu, cui te vivus patronum elegerat. Et quem poterat melius quam Te, non vulgari amore literas depereuntem, & literatis omnibus faventem, qui uno ore virtutes tuas prædicant, & laudibus onerant poſſeſſorem inſtructiſſimæ Bibliothecæ, cui ſimilem haud ſcio an invenire ſit in his terris. Sed hæc in tranſcurſu

non

non ſunt a me efferenda. Veniet, ſpero, tempus, quo licebit pleno ore hæc decantare, & exſpatiari in meritiſſimas tuas laudes. Accipe ergo, ILLUSTRISSIME COMES, hæc opuſcula, ultimas GUTBERLETHI delicias, & a malevolorum hominum morſibus tuere. Deum veneror, ut Te & Illuſtriſſimam Conjugem Tuam diu ſervet incolumes. Vale. Amſteladami poſtrid. Non. Januar. CIↃIↃCCIV.

Lecto-

Lectori Benevolo.

S.

Vix quidquam ad recte & penitus intelligendos omnis generis ſcriptores veteres tantum auxilii ac momenti adfert, quantum quidem accurata antiquitatum cognitio; nec dici poteſt, quam infeliciter in illis legendis vel interpretandis verſentur, quam crebro impediti hæreant, quamque ſubinde graviter impingant, qui abſque antiquitatum notitia ad priſcos auctores accedunt. Nec in Hiſtoricis modo, Geographicis atque humaniorum literarum ſtudiis utilitate eximia ſeſe illa commendat; verum gravioribus quoque ſcientiis, Theologiæ præcipue ac Jurisprudentiæ, quantum lucis, ornamenti, elegan-

gantiæ, ſplendoris inde acceſſerit, nullo negotio quivis deprehendet, ubi vel obiter illos, quos ſuperiora aliquot & infelicia ſecula tulerunt, doctos quidem, quin & nonnullos eximio ac ſublimi judicio præditos, at impolitos & ſqualore ac barbarie horridos ſcriptores & interpretes inſpexerit, atque eoſdem cum recentioribus, qui præter ſolidam rerum intelligentiam bonarum quoque literarum & hanc ipſam antiquitatum cognitionem ad eaſdem artes contulerunt, & hac eas face illuſtrarunt, compoſuerit. Haud equidem inficias ivero, non ita comparatum eſſe, ut univerſæ ſtudii antiquarii partes parem aliis diſciplinis utilitatem exhibeant; nulla tamen datur, in qua excolenda non occurrat aliquid, quod non tantum animum a natura bene informatum oblectare, ſed & uſui venire quandoque poſſit. Quin imo non rarum eſt, ut in illis quoque, quæ prima fronte nullius bonæ frugis præ ſe ferant ſpeciem, aliquid indagetur, quod obſcuriſſimis interdum

dum locis intellectum ſubminiſtret. Quam multæ graves atque inextricabiles ſæpe difficultates motæ ſunt in pauculis verbis male acceptis, in quibus veſtigium aliquod antiquitatis deliteſcebat? quot quæſtiones inde formatæ? quam inſanæ ſubinde commentariorum moles iis ſuperſtructæ? cum tandem aliquis antiquitatis illius gnarus genuinum hoc auxilio ſenſum aſſecutus eſt, atque omnes illas nebulas uno ſpiritu diſſlavit. Egregie itaque ſuam illi collocant operam, qui id omni diligentia efficere allaborant, ut, quantum ejus fieri poſſit, nihil ex antiquitatibus ignoretur, inque illis undecumque eruendis atque effodiendis ſedulo ſeſe exercent. Quorum, ſi unquam alias, ſane avorum, parentum ac noſtra memoria, egregia ac laudabilis exſtitit copia, quibuſque ob plurimas materias præclare, copioſe & eleganter illuſtratas plurimum res debet literaria. Atque id quoque omni conatu & contentione egit ὁ μακαρίτης Tobias Gutberlethus,

Ju-

Jurium Doctor & Academiæ Friſicæ Bibliothecarius, ſuum ut inter hoſce nomen profiteretur. Oſtendunt hoc ipſum, quæ in præſenti uno volumine comprehenſa publicamus ipſius opuſcula, in quibus familiam ducit *de Saliis Martis Sacerdotibus apud Romanos liber ſingularis*, qui nunc lucem, quam non ita pridem in ipſo ætatis flore reliquit Auctor, adſpicit. Optandum fuiſſet, ut ipſe hunc ingenii ſui fœtum publici juris facere potuiſſet; qui, cum e vivis excederet, jam typis deſcriptus, ac ad umbilicum perductus erat. Verum non fuit in fatis, ut ejus editioni extremam ipſe manum imponeret, ac pro more in veſtibulo ſtudioſum Lectorem compellaret: qui in hoc opuſculo accurata & curioſa diligentia congeſtum inveniet, quidquid vel a viris eruditis de Saliis obſervatum, vel ipſa Auctoris induſtria & inveſtigatione repertum fuit; idque omne claro & diſtincto ordine digeſtum & expoſitum; varia quoque optimorum ſcriptorum loca producta, expli-

ca-

cata, emendata, quæ legenti crucem fixiſſent; nonnulla etiam vetuſta, obſoleta & ignota verba, quantum in tanta vetuſtate licuit, explanata. Tandem ad calcem exhibetur cœna Saliaris; quæ magis laute, opipare & ſplendide apparari & inſtrui potuiſſet, magiſque etiam ſalivam movere, ſi in illis, quæ nobis ſuperſunt, antiquitatis monumentis, plura, quæ ad illam facerent, fercula reperiri potuiſſent. Reperies deinceps & alia ad curioſiorem antiquitatis notitiam pertinentia, *Diſſertationem*, nempe, *Philologicam de Myſteriis Deorum Cabirorum*, nec non *Animadverſiones in Antiquam Inſcriptionem Græcam Smyrnæ repertam.* Utraque lucubratio jam dudum edita fuit, at nunc auctior longe prodit atque emendatior. Agmen claudunt *Conjectanea in Monumentum Heriæ Thiſbes Monodiariæ & Titi Claudii Glaphyri Choraulæ.* Hæc curæ & fidei Jani Guilielmi van Meel Jurisconſulti Auctor commiſerat, ut is aliis antiquarii argumenti opuſculis

lis ab ipso publicandis ea adjungeret. Cum vero ille hactenus suum nondum exsecutus sit propositum, nobis interea id, quod commendatum acceperat, bona fide restituit. Accipe igitur, Humanissime Lector, benigna fronte hæc viri elegantioribus literis dum vixit addictissimi opuscula, atque ita persuasum habe, majora ab ipso, si fata ac Deus siviſſent, exspectanda fuisse, & vale.

CLA-

CLARISSIMI

VIRI

TOBIAE GUTBERLETHI

Memoriae

S.

Quem vivum nequii, te GUTBERLETHE ſepultum
Alloquor, & cineri dona ſuprema fero.
Sic tua promeruit virtus, ſic nobilis ardor,
Et cultum egregiis artibus ingenium.
Atque utinam non tam propere confectus abiſſes,
Nec tua vere tuo flenda rapina foret.
Nunc utcumque datum eſt, chartis te ſemper in iſtis
Poſteritas memori pectore docta colet.
Marsque pater Phœbusque pater de colle Quirini
Luſtrabunt Salios ad tua ſacra ſuos.

JANUS BROUKHUSIUS.

In

In Opuſcula poſtuma

VIRI DOCTISSIMI

TOBIAE GUTBERLETHI.

HAec GUTBERLETHUS nobis monumenta reliquit:
Haec dedit ingenii pignora rara ſui:
Haec dedit Aonidum Myſtes, majora daturus,
Ni mors inceptum praepediiſſet opus.
Manibus extincti longum praebete favorem,
Noſcere quos priſci temporis acta juvat:
Quorum animos Romana capit vel Graja vetuſtas,
Sacraque Barbarica rite peracta manu:
Et violis ornate Viri lauroque ſepulcrum,
Et cineri lacrimas, debita juſta, date.
At bene tranſacti defuncte laboribus aevi,
Ingenio maneat gloria certa tuo.
Et mors, quae placidae rupit tibi ſtamina vitae,
Exulet a ſcriptis tempus in omne tuis.

DAVID HOOGSTRATANUS.

Aenea Deos penates Lavinium tranſtulit, a quo *Saone* Salios appellatos eſſe putat auctor antiquus Critolaus apud Feſtum in vocabulo *Salios*.

Denique minus probabilis eſt etymologia, quam de voce *Salius* excogitavit Vir Cl. Stephanus le Moyne, cum in notis ad Varia Sacra, pag. 366. ſcribit, *Salios* dictos eſſe, vel a צלא / *orare*, quaſi ſacerdotes *orantes*; vel a צלל / a *tinnitu*, cymbalis, crotalis, quæ pulſare & jactare ſolebant. Hæc ultima non veriſimilia ſunt, nam quis Virum Celeberrimum docuit, ſacerdotes *Salios* pulſaviſſe & jactaſſe cymbala & crotala? ego quidem, in hunc ritum inquirens, ne veſtigium invenire potui, & nemo veterum hoc tradidit; ancilia verò pulſaviſſe cap. xv. demonſtrabo.

CAPUT II.

Saliorum nomina e Glossographis. Glossæ variis locis illustrantur. Illarum lectio defenditur. Salii ad cantum saltantes iidem cum Curetibus. Horatii Scholiastes emendatur. Salisatores qui? Augustinus corrigitur. Veterum superstitio in palpitatione. παλμὸς.

AB etymologia vocabuli transeo ad interpretamenta Glossographorum, quibus τὸ *Salius* reddiderunt; hoc enim e re nostra erit, ut inspiciamus istos Antiquitatis thesauros: Glossæ Lat. Gr. Cyrilli. *Salior*, ἱερόὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. ὑμνωδὸς. πρύτανις. Sic quoque Philoxenus. ἱερόὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. *Salior*. Lubenter legerem *Salius*, quemadmodum in sequenti Philoxeni glossa occurrit: ἱερόὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὅπλα θεραπεύων. *Salius*. Vocabulum secundum, quod Cyrillus habet, est ὑμνωδὸς, id Philoxenus reddit per *Salium* in genere, proprie vero iste Salius ὑμνωδὸς est, qui aliis Saliis præcinebat carmina Saliaria, & a Capitolino in vita Antonini Philosophi, cap. 4. *Vates* appellatur. Ultimum in Cyrilli glossa est πρύτανις.

TOBIAE GUTBERLETHI *JURISCONSULTI DE* SALIIS, MARTIS SACERDOTIBUS APUD ROMANOS, *LIBER SINGULARIS.*

CAPUT I.

Quam neceſſe ſit inveſtigare etymologias. Salii a ſaliendo dicti: non a Salio Arcade: nec a Saone quodam: neque a עלה *vel* עלל. *Stephanus le Moyne notatur.*

PHiloſophi veteres de aliqua re verba facturi ante omnia in nominis etymologiam inquirebant; hoc inſtitutum, jure meritoque

laudandum, nobis tradidit Cicero lib. 1. Acad. Quæſt. cap. 8. *Verborum explicatio probatur, id eſt, qua de cauſa quæque eſſent ita nominata; quam etymologiam appellabant: poſt argumentis, & quaſi rerum notis ducibus, utebantur ad probandum, & ad concludendum id, quod explanari volebant.* Quamobrem eleganter ait Ulpianus in l. 1. D. de Iuſtit. & Iure. *Iuri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat.* Nam ex ſententia Iſidori lib. 1. Orig. cap. 6. *niſi nomen ſcieris, cognitio rerum perit.* Hanc Philoſophorum conſuetudinem ſequutus primum etymologiam τῶ *Salius* expiſcabor, & deinde prolixe de iis *Saliis* diſſeram, eorumque ſacerdotium deſcribam.

Communior & verior opinio eſt, *Salios* dictos eſſe a *ſaliendo* vel *ſaltando*. Varro lib. IV. de L. L. pag. 23. SALII *a* SALTANDO, *quod facere in comitio in ſacreis quotanneis & ſolent & debent.* Confirmat hoc quoque Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 11. Antiq. Rom. pag. 130. edit. Sylburg. Σάλιοι ὠνομασμένοι παρὰ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς σωτηρίας κλήσεως. τὸ γὰρ

γὰρ ἐξάλλεσθαί τε καὶ πηδᾶν σαλίρε ὑπ' αὐτῶν λέγεται. hoc eſt: SALII *a Romanis appellati ſunt a tenore motus. Nam quod nos* ἐξάλλεσθαι & πηδᾶν *illi* SALIRE *dicunt.* Hanc originem approbat ingenioſiſſimus Ovidius lib. III. Faſtor. ℣. 387.

Iam dederat SALIIS [*a* SALTU *nomina ducunt*]

Arma ----------

Quod Ovidio a *ſaltu* eſt, id Plutarcho in vita Numæ ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως ἀλλικῆς οὔσης, ἣν ὑπορχοῦνται λαμπρυνόμενοι τὴν πόλιν. *a tripudio, quod ſaltando obeunt per Urbem.* Hunc vocabuli fontem ne quidem in dubium vocat Feſtus, cum ſcribit: SALIOS *a* SALIENDO, & SALTANDO *dictos eſſe, dubitari non debeat.* Præterea Servius ad Virg. Aeneid. VIII. ℣. 663. *Dicti* SALII, *ideo, quod circa aras* SALIUNT & *tripudiant.* Et ad ejuſdem lib. ℣. 285. *Quidam hos a* SALTU *appellatos tradunt, quos alii a Numa inſtitutos, ut arma ancilia portantes ſaltarent: Ergo bene a* SALTU *appellati.* His omnibus adſentitur Scholiaſtes vetus Horatii, qui ad lib. I. od. 36. *Salios* proprie a *ſaliendo* dictos eſſe

cenſet. In ſcholiis etiam Manuſcriptis, quæ reperiuntur in membranaceo Horatii codice Academiæ Friſiorum, vocabulum *Salius* a *ſalitare* deducitur; hæc enim ad lib. IV. od. I. in margine adſcripta ſunt: SALII *dicuntur ſacerdotes Deorum ab exilicione, eo quod in circuitu ararum Deorum tripudiando* SALITARENT.

Fuere tamen auctores, qui hanc etymologiam non probant, ſed vocem derivant a *Salio* Arcade, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxit; hæc erat ſententia Polemonis apud Feſtum in *Salios*: Quam Plutarchus etiam in vita Numæ refert, illamque falſitatis arguit: Σάλιοι ἐκλήθησαν, οὐχ ὡς ἔνιοι μυθολογοῦσι, ἀπὸ Σαμοθρᾳκὸς ἀνδρὸς ἢ Μαντινέως ὄνομα Σαλίου, τῷ ἐνόπλιον ἐκδιδάξαι τὴν ὄρχησιν. ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως ἀλλικῆς οὔσης. Salii *dicti ſunt, non ut nonnulli fabulantur, a* Salio *quodam Samothrace aut Mantinenſi, qui ſaltationem armatam docuit, ſed ab ipſo potius* tripudio.

Eſt & alia hujus vocabuli origo a *Saone* quodam e Samothrace, qui cum Aenea

Aenea Deos penates Lavinium tranſtulit, a quo *Saone* Salios appellatos eſſe putat auctor antiquus Critolaus apud Feſtum in vocabulo *Salios*.

Denique ridicula ſane etymologia eſt, quam de voce *Salius* excogitavit Stephanus le Moyne, cum in notis ad Varia Sacra, pag. 366. ſcribit, *Salios* dictos eſſe, vel a עלה / *orare*, quaſi ſacerdotes *orantes*; vel a עלל / a *tinnitu*, cymbalis, crotalis, quæ pulſare & jactare ſolebant. Hæc ultima aperte falſa ſunt, nam quis Virum Celeberrimum docuit, ſacerdotes *Salios* pulſaviſſe & jactaſſe cymbala & crotala? ego quidem, in hunc ritum inquirens, ne veſtigium invenire potui, & nemo veterum hoc tradidit, ancilia verò pulſaviſſe cap. xv. demonſtrabo.

CAPUT II.

Saliorum nomina e Glossographis. Glossæ variis locis illustrantur. Illarum lectio defenditur. Salii ad cantum saltantes iidem cum Curetibus. Horatii Scholiastes emendatur. Salisatores qui? Augustinus corrigitur. Veterum superstitio in palpitatione. παλμὸς.

AB etymologia vocabuli transeo ad interpretamenta Glossographorum, quibus τὸ *Salius* reddiderunt; hoc enim e re nostra erit, ut inspiciamus istos Antiquitatis thesauros: Glossæ Lat. Gr. Cyrilli. *Salior*, ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὁπλα θεραπεύων. ὑμνῳδός. πεύτανις. Sic quoque Philoxenus. ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὁπλα θεραπεύων. *Salior*. Lubenter legerem *Salius*, quemadmodum in sequenti Philoxeni glossa occurrit: ἱερεὺς ὁ τὰ διοπετῆ ὁπλα θεραπεύων. *Salius*. Vocabulum secundum, quod Cyrillus habet, est ὑμνῳδὸς, id Philoxenus reddit per *Salium* in genere, proprie vero iste Salius ὑμνῳδὸς est, qui aliis Saliis præcinebat carmina Saliaria, & a Capitolino in vita Antonini Philosophi, cap. 4. *Vates* appellatur. Ultimum in Cyrilli glossa est πεύτανις.

πανις. Philoxenus: πεύπανις. *Salior. Flamen.* Proprie *Salius* non eſt πεύπανις, ſed figuratè vox hæc ſumi debet, pro eo Salio, qui primarius collegii Saliorum ſacerdos eſt, vel illorum ſacerdotum Præſultor; utramque ſignificationem ℈ πεύπανις ſuppeditat Heſychius: Πρύπανις, βασιλεὺς, ἄρχων, χορηγὸς, ὑμνῳδὸς διοικητής. Porro eſt hæc gloſſa in Cyrilli collectione. *Salius.* ἱερεύς, ὁ τὰ διοπετῆ ἑῶλα θεραπεύων. ἱερεὺς καίσαρος. ἱερέως εἴδους. Prima verba admodum clarè officium *Salii* exponunt; at videamus alia, adeſt primo loco: ἱερεὺς καίσαρος, qui in Philoxeni gloſſario audit: *Flaminicus, Salius, Flamen.* Puto Gloſſographos reſpicere ad *Salios* in honorem alicujus Imperatoris inſtitutos [quales erant *Salii Auguſtales, Hadrianales*, aliique,] quando *Salios* interpretantur ἱερεῖς καίσαρος. Sequitur apud Cyrillum ἱερέως εἴδους. Quod hoc modo a Philoxeno explicatur. ἱερέως εἴδους, *Dialis, Salius.* Doctiſſimus quidam vir olim legebat ἱερεὺς ℈ Διὸς, pro ἱερέως εἴδους. Optime quidem quod ad vocem *Dialis* attinet, ille enim erat ἱερεὺς τοῦ

Διὸς, *ſacerdos Iovis;* ſed quid hoc ad τὸ *Salius*, an ille dici poteſt ἱερεὺς τοῦ Διὸς? nemo opinor hoc probabit; retineo igitur vulgatam lectionem, quæ commode & ſine criſi explicari poteſt; Gloſſographi dicunt *Dialem* vel *Salium* eſſe ἱερέως εἶδος, *ſpeciem ſacerdotis*, Belgæ: een ſoort van een Prieſter / quod idem eſt, ac ſi dicerent, *Dialem* & *Salium*, eſſe *ſacerdotes:* Præterea hanc lectionem confirmat quoque Cyrillus in ſuo gloſſario. *Dialis*, ὁ ἢ Διὸς ἱερεὺς, ἱερέως εἶδος. Hanc ultimam interpretationem Philoxenus tantum deſcripſit, cum una eademque gloſſa *Dialem* & *Salium* explicare vellet, idcirco abeſſe debebat ὁ ἢ Διὸς ἱερεὺς, quæ verba ad Flaminem *Dialem* non vero ad *Salium* referri poterant.

Perſpectis & trutinatis Gloſſographorum interpretationibus ad fuſiorem & clariorem Saliorum deſcriptionem me accingo, quam optime exſecutus eſt Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 11. pag. 129. his verbis: Πάντες οἱ Σάλιοι χορευταί εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν. *Omnes Salii ſunt ſaltatores & laudatores*

res Deorum, qui armorum præsides existunt. Et ibidem illos cum Curetibus apud Cretenses comparat, cum dicit: Εἰσιν οἱ Σάλιοι, κατὰ γῆν τὴν ἐμὴν γνῶσιν, Ἑλληνικῶ μεθερμηνευθέντες ἐνόματι Κέρητες. *Quantum ego intelligo, Salii, si Græco interpretari nomine velis, sunt Curetes.* Scimus, Curetes saltationem armatam in honorem Iovis exercuisse in Creta, ut Salii in honorem Martis Romæ. Meminit hujus moris doctissimus Grammaticus ad Virg. lib. VIII. Aeneid. ℣. 285. *Salii sunt*, inquit, *qui tripudiantes aras circumibant. Saltabant autem ritu veteri armati, post victoriam Tiburtinorum de Volscis.* Eodem fere modo sacerdotes nostros depingit Commentator vetus Horatii ad lib. II. epist. 1. ℣. 85. *Salii dicebantur, quia circa aras canendo saliebant.* Huic succenturiantur scholia MSS. membranacei codicis nostræ Academiæ, quæ ad lib. 1. od. 36. hæc habent: *Salii sacerdotes Martis & Herculis dicebantur, qui sacra saltatibus celebrabant, ut alii ad cantus.* Ultima verba corrupta esse non dubito, cum auctor istorum scholiorum Salios

ſaltantes deſcribens ab illorum ſacris *cantum* excludat, & ad alios ſacerdotes transfert; quem tamen *cantum* veteres ſcriptores *Saliis* attribuunt, ut & ipſe ſcholiorum auctor ad lib. II. epiſt. I. ℣. 85. Puto igitur mendum non eſſe ab auctore profectum, ſed a librarii manu, qui ſcripſit, *ut alii ad cantus*, pro quibus repono, *ut, Tum Salii ad cantus.* Eſt enim hemiſtichium Virgilianum e lib. VIII. Aeneid. ℣. 285. quod Scholiaſtes adducit, ut probaret, *Salios* fuiſſe ſacerdotes, qui ſacra ſaltantes & canentes celebrabant, quem ritum Virgilius hoc & ſequentibus verſibus eleganter demonſtrat; prætereà hanc noſtram emendationem confirmat Commentator vetus a Cruquio editus, in quo eodem modo hæc verba leguntur.

Cæterum ab his *Saliis ſaltantibus* alii ὄρχησιν ſive *ſaltatores* dicebantur *Salitores*, teſte Dionyſio Halicarnaſſæo lib. II. pag. 130. Τὰς ἄλλας ἁπάσας ὀρχησὰς, ἐπεὶ καὶ τύτοις πολὺ τὸ χόρδμα καὶ σκίρτημα ἔνεστι, ὠνομακότες ἀπὸ τ Σαλίων τὄνομα, σαλίτωρας καλῶσιν. id eſt. *Ceteros omnes ſaltatores, quippe qui cre-*

bro

bro ſaltatu choreas agitant, SALITORES *vocant, nomine a Saliis deducto.* In hac voce corruptus eſt D. Auguſtinus, cum in lib. de Natura Dæmonum ſcribit: *Salitores vocati ſunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes ſalierint, aliquid exinde proſperum aut triſte ſignificari prædicunt.* Pro *Salitores* lubenter legerem *Saliſatores* ex Iſidoro, qui lib. VIII. Orig. cap. IX. eadem fere verba habet, quæ ex Auguſtino produxi: SALISATORES, ait, *vocati ſunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes ſalierint, aliquid ſibi exinde proſperum, ſeu triſte ſignificare prædicunt.* Planè enim diverſi ſunt *ſalitores* & *ſaliſatores*, *ſalitores* ſunt *ſaltatores*; *ſaliſatores* vero *divinatores e palpitationibus.* Hinc in veteribus gloſſis: *Saliſſatio.* πάλμος. Veteres etenim ſuperſtitioni maxime adhærentes credebant, ſi quoddam corporis membrum ſponte ſubſiliiſſet, ejuſmodi palpitationibus aut boni aliquid aut mali portendi, quamobrem Auguſtinus dicit lib. II. de Doctrina Chriſtiana: *His adjungantur millia inaniſſimarum obſervationum, ſi membrum ali-*

aliquod ſalierit, ſi, junctim ambulantibus amicis, canis, aut lapis, aut puer medius intervenerit. Græci tales palpitationes nominabant παλμὰς, Heſychius: παλμὸς, τρόμος, σεισμὸς. Et exſtat liber Melampodis περὶ παλμῶν, in quo ejus ſuperſtitionis præcepta traduntur; præterea Poſidonius ſcripſit, teſtante Suida, παλμικὸν οἰώνισμα, id eſt *de ratione captandi omina ex palpitatione.*

CAPUT III.

Varii Saliorum auctores referuntur. Inter hos præcipuus Numa Pompilius. Ennius & Lucilius explicantur. Turnebus & Bianchini laudantur. Græci Salios non habuere. Salii apud Tuſculanos.

Præcedenti capite ſatis clare *Salios* deſcripſi, hoc docebo, quis primus Saliorum auctor fuit; hunc Critolaus apud Feſtum in voce *Salios* facit *Saonem*, qui e Samothrace cum Aenea Deos penates Lavinium tranſtulit, & Saliare genus ſaltandi inſtituit: Polemon vero apud eundem Feſtum *Salio* Arcadi inventionem adſcribit, qui juvenes

Ita-

Italicos ἐνόπλιον ſaltationem docuit. Has ſententias nonnulli rejiciunt, qui Salios a *Dardano* inſtitutos volunt; alii a *Morrio* rege Vejentanorum originem habuiſſe referunt, teſte Servio ad Aeneid. lib. VIII. ℣. 285. Sed, quicquid ſit, verum docere puto Dionyſium Halicarnaſſæum lib. II. pag. 129. & Livium lib. I. cap. 20. qui Salios a Numa Pompilio inſtitutos eſſe narrant, quibus adſentitur Florus lib. I. cap. 2. de Numa loquens: *Ille Pontifices, Augures,* SALIOS, *cæteraque ſacerdotia ... deſcripſit. Ille* ANCILIA *atque Palladium, ſecreta quædam imperii pignora .... dedit.* Iornandes de Regn. ſucceſſ. cap. 5. hoc iisdem verbis tradidit. Et Aurelius Victor de Vir. illuſtr. cap. 3. de Numa rege ait: SALIOS *Martis ſacerdotes, quorum primus Præſul vocatur,* XII. *inſtituit.* Audiamus quoque Suidam, qui in voce ΝΟΥΜΑΣ ſcribit: Ποντίφικας καὶ φλαμινίους τοῖς ἱεροῖσιν ἐπέστεσε, ΣΑΛΙΟΥΣ τε τὴν ἔρχησιν ἀσκησοντας. *Pontifices & Flamines ſacris præfecit, &* SALIOS *ſaltantes conſtituit.* Præter hos adducam teſtem omni exceptione majorem

rem Ennium, qui lib. 11. Annal. cecinit:

Menſas conſtituit, idemque ANCEILIA *preimus.*

In hoc verſu Ennius per *Ancilia* deſignat *Salios*, quoniam proprium iis erat *ancilia* per Urbem portare, eaque cuſtodire, ut latius dicam in cap. xv. *de Anciliis*. Hoc Numæ inſtitutum celebrat quoque Lucilius eadem cum Ennio ἀειφεγὲς uſus, cujus verſum e lib. IX. Satyr. producit Priſcianus lib. VI. pag. 708. edit. Putſchianæ.

Hinc ANCILIA, *ab hoc apices, capidasque repertas.*

Vir magnus Adrianus Turnebus lib. XIII. Adverſ. cap. 8. in ea verſatur opinione, Saliorum auctorem fuiſſe Salium Arcadem, eumque, inſtitutis ab Euandro Herculi ad aram maximam ſacris, adjeciſſe Saliorum choros ante Urbem conditam, Urbe autem condita eos choros a Numa eſſe translatos ad Gradivum Martem Romanæ gentis auctorem. Præſtantiſſimus Franciſcus Bianchini in Hiſtoria ſua univerſali ſermone Italico con-

conſcripta, pag. 289. vult, Romanos ex Arcadia ab Euandro ejusque ſociis hos ſacerdotes accepiſſe, & Fabius Pictor apud Dionyſium Halicarnaſſæum *Salios* a Græcis originem ducere affirmat, ad imitationem Pyrrichæ ſaltationis, vel Curetum. Credo equidem, Romanos ritus quoſdam apud Græcos in iſtis ſaltationibus uſitatos ad Salios ſuos tranſtuliſſe, cum Græci ipſiſſimos Salios non habuerint; Minucius Felix, pag. 238. *Ante eos* [Romanos] *Deo diſpenſante, diu regna tenuerunt Aſſyrii, Medi, Perſæ, Græci etiam, & Aegyptii, cum Pontifices & Arvales, &* SALIOS, *& Veſtales, & Augures non haberent.* Hauſit hæc e Tertulliano diſertiſſimus Minucius, ſi ſit Afro illo patre junior; Tertullianus enim ſcripſerat in Apolog. cap. 26. *Regnaverunt & Babylonii ante Pontifices, & Medi ante Quindecimviros, & Aegyptii ante* SALIOS, *& Aſſyrii ante Lupercos, & Amazones ante Virgines Veſtales.* Quicquid alii ogganniunt, hoc luce meridiana clarius eſt, Numam *Salios* ſaltantes primum Romæ inſtituiſſe,

tuiſſe, cum antea in aliis Italiæ civitatibus tantum noti eſſent, ſic de Tuſculanis teſtatur Servius ad Aeneid. lib. VIII. ℣. 285. quod habuerint *Salios* ante Romanos.

CAPUT IV.

Salii in cujus honorem inſtituti: fuere Sacerdotes Herculis: & Martis Gradivi: hujus cognominis etymon inveſtigatur e Feſto & nummis antiquis. Aedes Martis & Tempeſtatis ubi ſita. Pancirolli & Roſini error indicatur. Quis primus adem Tempeſtati exſtruxit. Ovidius explicatur.

Poſtquam Saliorum auctor nobis innotuit, non a ratione alienum erit, ſi oſtendam, in cujus Dei honorem illos inſtituit & ſelegit. De hac re variæ & diſcrepantes ſcriptorum ſententiæ reperiuntur. Servius Danielis ad Virg. Aeneid. VIII. ℣. 285. refert ex aliis, *Salios* a Dardano inſtitutos eſſe, ut *Samothracibus Diis* ſacra perſolverent. Qui hi Samothraces Dii fuerint, clare oſtendi in diſſertatione mea *de Myſteriis Deorum Cabirorum*, cap. 7. Quidam, ut ait Servius *l. c.* volunt, *Salios* a Morrio

rio rege Vejentanorum inſtitutos, ut *Aleſus* Neptuni filius eorum carmine laudaretur. Ipſe tamen Servius judicat, Salios *Martis* & *Herculis* ſacerdotes eſſe, quoniam Chaldæi ſtellam Martis *Herculem* vocant; quos Varro ſequitur in Satyra Menippea, in qua *Herculem* eundem eſſe cum *Marte* probavit, teſte Macrobio lib. III. Saturnal. cap. 12. Immo antiquiſſimi Salii videntur ſacerdotes fuiſſe *Herculis*, donec Numa illos *Marti* conſecravit; plerique enim *Herculi* Salios adtribuunt, ſic Antonius Gnipho Salios *Herculi* datos oſtendit in libro, quo diſputat, quid ſit *Feſtra*. Macrobius *l. c.* Præterea Tiburtes quoque ſuos Salios *Herculi* dicaverant, quod e Servio *l. c.* patet, & ex Octavii Herſennii libro, qui inſcribitur *de Sacris Saliaribus Tiburtium*; in quo Salios *Herculi* inſtitutos operari diebus certis & auſpicato docet, referente Macrobio lib. III. Saturnal. cap. ult.

Attamen poſterioribus temporibus *Salii* ſolius *Martis* ſacerdotes fuerunt, in cujus Dei honorem armati ſaltabant, teſtem adhibeo ὀρχηστὴν Lucianum in

tractatu *de saltatione*, tom. 1. pag. 793. edit. Græviana. Ἐπὶ τούτοις δίκαιον μὴ δὲ τῆς Ρωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ εὐγενέσταλοι αὐλῶν, τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν Θεῶν Ἄρει, οἱ Σάλιοι καλούμενοι, ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα, ὀρχεῖσθαι σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην. *Præter hæc æquum est, ut neque Romanæ saltationis obliviscamur, quam Romanorum nobilissimi quique,* MARTI *Deorum bellicosissimo, qui* SALII *vocantur, quod est sacerdotii nomen, gravissimam & religiosissimam exercent.* Hinc appellatur quidam SALIVS MARTIALIS in lapide inter Felsinea marmora, pag. 372. Mars hic, cui *Salii* dicati erant, cognomen GRADIVI habuit, ut ex his Livii verbis, quæ lib. 1. Hist. cap. 20. exstant, patere potest: *Numa Salios duodecim* MARTI GRADIVO *legit.* Quamobrem Mars cognominatus sit *Gradivus*, & qualis iste fuerit, mihi jam inquirendum. Varias nominis rationes tradit Festus: GRADIVUS MARS, inquit, *appellatus est a* GRADIENDO *in bella ultro citroque: sive a vibratione hastæ, quod Græci dicunt* κραδαίνειν: *vel, ut alii dicunt, quia*

quia gramine ſit ortus, quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maximæ eſt honorationis. Eligat quiſque ex hiſce tribus etymologiam, quæ ſibi arridet, mihi prima verior videtur, quam confirmant quoque nummi veteres, in quibus

------ Mars implacabile monſtrum,
Vira lues hominum, mortis erebique miniſter,

feſtinante gradu conſpicitur; ſequentem depromo e Noriſii Diſſertat. v. *de Epoch. Syro-Macedonum*, pag. 534.

Eodem modo eſt in gemma annuli apud Gorlæum, tom. 1. num. 17. *Dactylioth.* quam heic loci proponam, quia maxime primam Feſti etymologiam illuſtrat, & cum nummo convenit.

Huic *Marti Gradivo* inſcriptio ſacra eſt in Reineſii ſyntagmate, claſſ. 1. num. 270.

MARTI. GRADIVO.
D. D.
L. PLVSTIVS. PIVS
AEDILIS. MONITOR
AVGVR. PRAEF. SACROR.

Aedes hujus Martis fuit extra mœnia Romæ prope portam Capenam, & a Rufo & Victore in regione prima ponitur; hujus meminit Livius lib. XXXVIII. *Viam ſilice ſternendam a porta Capena ad Martis* [ædem] *locaverunt.* Et Feſtus, cum ſcribit: *Manalem lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Mar-*

Martis. Cum his convenit auctor de XIV. regionibus Urbis a Pancirollo commentariis illuſtratus, qui tradit, regionem primam inter alia continere AEDEM MARTIS; doctiſſimus Pancirollus non declarat, cujus *Martis* ædes fuerit, attamen *Martis Ultoris* non fuiſſe aſſerit, quod verum eſt, nam ædes *Martis* cognomento *Gradivi* erat. Porro auctor de XIV. regionibus putat, *Martem* habuiſſe communem ædem cum *Minerva* & *Tempeſtate*, cum Rufus & Victor ſingulis peculiarem ædem adſcribant: Non poſſum hic ſilentio præterire inſignem Pancirolli errorem, cum de prædicta *Tempeſtatis* æde hunc in modum ſcribit: „ Tempeſtati extra portam Ca„ penam in hac regione M. Marcellus „ ædem extruxit, quod in Corſicam „ & Sardiniam navigans, tempeſtatem „ paſſus ab ea evaſerit; cujus rei me„ minit Ovidius hoc carmine lib. VI. „ Faſtor. ℣. 193.

Te quoque Tempeſtas meritam delubra fatentur,
Cum pene eſt Corſis obruta puppis aquis.


image
not
available

CAPUT V.

Salii Palatini unde dicti: illorum mentio in antiquis marmoribus: Salios uno eodemque tempore fuisse Seviros e lapide ostenditur: Praetores nec Consules poterant esse Salii.

Quandoquidem de cognomine Martis satis diserui, ordo postulat, ut de Saliorum cognominibus quædam proferam, istis enim a se invicem distinguebantur; nam fuere *Salii Palatini*, *Collini*, *Albani* & alii. Primum de *Palatinis Saliis* agam, qui antiquissimi videntur esse, utpote a Numa instituti, hi appellationem sortiti sunt a sacris suis, quæ in *Palatino* monte erant; Dionysius Halicarnassæus lib. 11. pag. 129. Σαλίους αὐτὸς ὁ Νομᾶς ἀπέδειξεν ἐκ τῶν πατρικίων, δώδεκα τοὺς εὐπρεπεστάτους ἐπιλεξάμενος νέους, οἳ ἐν Παλατίῳ κεῖται τὰ ἱερὰ, καὶ αὐτοὶ καλοῦνται ΠΑΛΑΤΙΝΟΙ. *Salios ipse Numa e patriciis delegit, juvenes decore conspicuos, duodecim numero: qui sacra in Palatio celebrant,* & PALATINI *cognominantur.* Præterea hoc Saliorum cognomen adstruit Onuphrius Panvinius in *Descript. Urbis*

Romæ, pag. 305. ubi in regione Urbis x. quæ *Palatium* vocatur, SACRARIVM SALIORVM PALATINORVM agnoscit. Invenio quoque hoc Saliorum cognomen in marmoribus antiquis, quorum primum reperitur in æterno Gruteri opere, pag. CLXXIII. num. 5. in quo MANSIONES SALIORVM PALATINORVM prostant: Alterum legitur in Reinesiano syntagmate, class. VI. num. 19.

L. CAESONIO L. F. QVIRINA. ORCINIO. RVFINO
MANLIO. BASSO. CLARISSIMO. VIRO. SALIO.
PALATINO.
PONTIFICI MAIORI. PRAETORI. QVAESTORI.
CAESONIVS. HEDVLVS. PROC. PATRIS.

Notandum est, marmor hoc non intelligendum esse, quasi L. Cæsonius uno eodemque tempore his dignitatibus functus esset, sed quodam intervallo inter singulas existente, sive, ut ita loquar, successive; poterat quis eodem tempore & *Salius* & *Sevir* esse, sic legimus in Octavii Rubei Antiquit. Brixianis, pag. 318. num. 78.

C.

C. VIB. ACCIO
LONGINO
VI. VIR. VERON
ET. SALIO. ET
QVINTIAE. P. F. QVINTAE.

Alio modo conſtitutum erat cum *Prætore*, qui uno eodemque tempore prætura & ſacerdotio Saliari fungi non poterat; forſan aliquis mihi objiceret exemplum Furii Bibaculi apud Valerium Maximum, lib. 1. cap. 1. exempl 9. qui *Prætor* a patre ſuo collegii Saliorum magiſtro juſſus, ſex lictoribus præcedentibus, arma ancilia tulit: Sed extra ordinem Bibaculus hoc peregit; ideoque Valerius Maximus ſubjungit; *quamvis vacationem hujus officii, honoris beneficio haberet.* Hoc de Furio etiam teſtatur Lactantius lib. 1. de falſ. Rel. cap. 21. *Furius Bibaculus inter præcipua pietatis exempla numeratur. Qui cum Prætor eſſet: tamen lictoribus præeuntibus, ancile portavit; cum haberet magiſtratus beneficio, muneris ejus vacationem. Non ergo ille Furius, ſed plane furioſus fuit, qui præturam hoc miniſterio ſe putavit ornare.* Porro Alexander ab Alexandro non tantum *Præturam* excludit,

ſed & *Conſulatum*, verba ipſius lib. I. Genial. Dier. cap. 26. ſunt: *Erat conſtitutum, ut qui conſulatum aut præturam, aliumve magiſtratum gereret, ancilia ferre, & inter Salios eſſe cogi nequiret.*

CAPUT VI.

Salii Collini unde dicti: a Tullo Hoſtilio inſtituti: Servius notatur & emendatur: Salii Quirinales & Agonales iidem ſunt cum Collinis: Salii Collini in marmoribus: Inſcriptio contra Cæſarem Malvaſiam ſuppletur.

Transeo ad *Salios Collinos*, qui a Tullo Hoſtilio inſtituti a *Collino* monte nomen habuerunt, Dionyſius Halicarnaſſæus lib. II. pag. 129. Οἱ Ἀγωναλεῖς, ὑπὸ δέ τινων καλούμενοι ΚΟΛΛΙΝΟΙ ΣΑΛΙΟΙ, ὧν τὸ ἱεροφυλάκιον ἐστιν ἐπὶ τῷ Κολλίνῳ λόφῳ, μετὰ Νομᾶν ἀπεδείχθησαν ὑπὸ βασιλέως Ὁστιλίου, καθ' εὐχὴν ἣν ἐν τῷ πρὸς Σαβίνους ἔξαλο πολέμῳ. *Agonales a nonnullis dicuntur* COLLINI SALII, *quorum ſacrarium eſt in Collino tumulo, poſt Numam a rege Hoſtilio inſtituti fuerunt, ſicut bello Sabino voverat.* Et lib. III. pag. 173. de Tullo Hoſtilio narrat,

rat, illum ſublatis ad cælum manibus Diis votum feciſſe, ſi eo die Sabinos vinceret, τὸν τῶν Σαλίων καλουμένων διπλασίασειν ἀριθμὸν, *ſe duplicaturum Saliorum numerum*; Dion tamen in excerptis Conſtantini Porphyrogenetæ, pag. 569. refert, Tullum Hoſtilium inſtituiſſe *Salios Collinos*, cum peſtis Romæ graſſaretur, & ille ægrotaret, verba ſunt: Τῷ δὴ θείᾳ πάνυ καταφρονήσει παρημέλει, μέχρις οὗ νόσῳ λοιμώδους γινομένης καὶ αὐτὸς ἠρρώστησε. Τότε γὰρ τῶν τε ἄλλων θεῶν δι' ἀκριβείας ἐπεμελήθη, καὶ τοὺς Σαλίους τοὺς Κολλινοὺς προσκατέστησε. Quæ Valeſius ſic Latine tranſtulit: *Deos magnopere contemnebat, donec ſæviente per Urbem peſte ipſe quoque morbo implicitus eſt. Tum enim & cæteros Deos præcipua cura coluit, &* SALIOS, *quos* COLLINOS *vocant, addidit.* Tullus igitur duodecim *Saliis Palatinis* a Numa inſtitutis adjecit totidem *Collinos Salios*, ita ut ipſius tempore jam fuerint viginti quatuor. In diverſas vero partes abit Servius Danielis ad Æneid. lib. VIII. ℣. 285. ubi lego, *Salios Collinos* & *Quirinales* a Numa inſtitutos eſſe, eos vero,

vero, quos Hostilius instituit, appellari *Pavorios* & *Pallorios*, verba sic se habent: *Duo sunt genera Saliorum, sicut in Saliaribus carminibus invenitur*, COLLINI, & QUIRINALES *a Numa instituti, ab Hostilio vero* PAVORII & PALLORII. Credo hunc Servii locum esse depravatum, nam dicit, *duo sunt genera Saliorum*, cum tamen quatuor genera diversis cognominibus recenset; substituo igitur pro *et* vocula *vel*; illum equidem scripsisse puto, *Collini vel Quirinales* & *Pavorii vel Pallorii*, sic etenim *duo Saliorum genera* habemus; etsi *Salii Pavorii* & *Pallorii* apud alios plane ignoti sunt, qui forsan cognomen habuerunt a *Pavore* & *Pallore*, quibus Tullus Hostilius in bello contra Fidenates [in quo & XII. *Salios* vovit] fana dicavit, ut e Livio annotat doctissimus Valesius ad excerpta Peiresciana, pag. 81. Quos Servius *Quirinales* vocat, ii Dionysio sunt *Agonales*, & Varroni *Agonenses* lib. v. de L. L. pag. 46. *In libris*, inquit, SALIORUM, *quorum cognomen* AGONENSIUM. Ratio hæc est, quia mons *Quirinalis* appellabatur quoque *Agonalis* sive *Agonus*, teste Festo

Feſto in *Agonium*. De *Salio Quirinali* loquitur Papinius Statius lib. v. ſylv. 2. ℣. 129.

> -------- *humeris quatere arma*
> QUIRINUS,
> *Qui tibi tam tenero permiſit plaudere collo*
> *Nubigenas clypeos, intactaque cædibus arma.*

Cum vero Dionyſius *Salios Collinos* eoſdem facit cum *Agonalibus*, & Servii *Quirinales* ſunt Varronis *Agonenſes* ſive Dionyſii *Agonales*, ſine dubio *Collini* & *Quirinales Salii* non diverſi fuere, quia *Collinus* mons [a quo *Salii Collini*] etiam *Quirinalis* denominatus fuit, vid. Donatum in Roma vet. & recent. lib. III. cap. 15. Porro Servius in eo errat, quod Numam *Collinorum Saliorum* inſtitutorem deſcribat, cum juxta Dionyſium & Livium Tullus Hoſtilius illos inſtituerit. *Salii Collini* mentio ſupereſt in ſequenti ἐπιγραφῇ inter celeberrimi Sponii miſcellanea erudit. Antiq. pag. 189.

Q. POMPEIO Q P. QVIR. SENECIONI
ROSCIO MVRENAE. COELIO SEX.
IVLIO FRONTINO SILIO DECIANO
C. IVLIO LVRYCII HERCVLANEO
VIBVLLIO PIO AVGVSTANO ALPINO
BELLICIO SOLLERTI IVLIO APRO
DVCENIO PROCVLO RVTILIANO
RVFINO SILIO VALENTI VALERIO
NIGRO CLEVS .... SALENTIANO
SOSIO PRISCO PONTIFICI SODALI
HADRIANALI SODALI ANTONINIANI
VERIANI SALIO COLLINO QVAESTORI
CANDIDATO. AUGG. LEGATO PR. PR. ASIAE
SORTITO PRAEFECTO ALIMENTOR.
XX VIRO MONETALI SEVIRO PRAEF.
FERIARVM LATINARVM QQ. PATRONO
MVNICIPII SALIO CVRATORI FANI H. V.
S. P. Q. T.

Videmus, in hoc marmore varia Virorum nomina continua ſerie recenſeri, & deinde illorum dignitates; quoniam vero nominibus ſingulis dignitates non ſunt appoſitæ, ideo unicuique ſuas adſcribere non poſſumus, quis enim ex his SALIVS COLLINVS fuerit, non facile divinandum, ſi vero conjecturæ locus detur, ſacerdotium Saliare adtribuerem VIBVLLIO PIO; anſam hujus conjecturæ mihi ſuppeditavit lapis, in quo SALIVS COLLINVS appellatur, inter

ter marmora Felſinea a Carolo Cæſare Malvaſia publicata, pag. 265.

P. COELIO. P. F.
SER. BALBINO
VIBVLLIO PIO
X. VIRO. STLITIB. IVDIC.
VI. VIRO. EQVIT. ROMAN
TVRM. EQVIT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. F. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES.
TRAIANO. HADRIANO. AVG.
SALIO. COLLINO. QVAEST.
AVG. FLAMINI. VLPIALI. PR. DE
FIDEICOMISS. COS
DESIGNATO
DECVRIONES. SVA PECVNIA.

Hanc inſcriptionem quoque exhibent Gruterus in divino theſauro, pag. CCCLXXXXIII. num. 6. & Boiſſardus part. III. Antiq. Roman. pag. 45. cum quadam differentia; illi enim pro TVRM. EQVIT. habent TVRM. QVINT. quæ lectio ſi genuina eſt, non admitto Malvaſiæ expoſitionem, quando TVRM. EQVIT. ſupplet TVRMARCHO EQVITVM, nam melius eſſet TVRMAE QVINTAE; ſic occurrit TVRM. II. EQVIT. apud Gruterum, pag. CCCCXII. num. 2. & TVRM. III.

III. apud eundem pag. MXXVI. num. 3. in his marmoribus etsi nullum turmæ cognomen post TVRM. reperiatur, tamen hoc vocabulum non per TVRMARCHVM, ut Malvasia vult, sed per TVRMAM supplendum esse certo certius est.

CAPUT VII.

Salii Albani: a quo instituti. Salii Hadrianales & Salii Herculani Augustales contra Scaligerum exploduntur: Herculani Augustales quinam appellati. Salii Antoniniani.

Præter *Palatinos* & *Collinos Salios* fuere etiam *Salii* cognomine *Albani*; hos promo e tabula marmorea in Gruteri Inscriptionum mole, pag. CCCXVIII. num. 1.

L. ANTESTIVS CN. F. HOR
SARCVLO. SALIVS. ALBANVS
ANTESTIA L. L. PLVTIA
RVFIA P. F. TERTIA SOROR
L. ANTESTIVS L. L. QVINCTIO
L. ANTESTIVS. L. L. RVFVS. L. ANTISTIVS
L. OL. THAMYRVS
L. ANTISTIVS. L. O. L. ANTHVS. L. ANTISTIVS
L. L. EROS CAPPADOXS.

Et

Et eadem pag. num. 2. ſequentia in quodam cippo leguntur.

L. ANTISTIVS. CN. F. HOR. SARCVLO ANTISTIA SALIVS. ALBANVS. IDEM. MAG. SALIORVM L. L. PLVTIA.
RVFVS. L. ANTHVS. L. IMAGINES. DE. SVO. FECERVNT. PATRONO. ET. PATRONAE. PRO MERITIS EORVM.

Quam ob cauſam hi Salii cognominati ſint ALBANI in veteribus monumentis, quod quidem ſcio, non proditur; quid ſi ſtatuamus, illos ſic denominatos, quoniam ſacrarium in *Albano* monte habuerunt, ut *Palatini* ac *Collini* a montibus *Palatino* & *Collino*? Doctiſſimus Sibrandus Siccama in commentar. ad Faſt. Kalendar. Roman. cap. 9. refert, *Albanos Salios* a rege Tarquinio eſſe inſtitutos, unde hoc didicit, non liquet.

Invenio quoque *Salium Hadrianalem*, ſi fides habenda Scaligero, in ara marmorea apud Gruterum, pag. MXXIX. num. 6.

T. SEXTIVS. T. F. VOL.
M. VIBIVS. OVF.·.·.·.
SECVNDVS. LVO.·.·.·.
VESTINVS.·.·.·.
AFRICANI. CON.·.·.·.
FILIVS. SALIV.·.·.·.
HADRIANALIS. II.·.·.
PRAETOR. INCOA.·.·.
CAESARIS. L. AVR.·.·.
PROVINCIAE. AFRI.·.·
T. SEXTIVS. MAGISTER.·.
PATRI.

Sed non credo, *Salium Hadrianalem* heic latere, quoniam præter literam S plures literæ videntur deesse post vocem SALIV.·.·.·.; puto igitur lacunam hoc modo supplendam, SALIVS. SOD. id est, *Salius. Sodalis* nempe *Hadrianalis*; spatium enim lacunæ & vestigia punctorum has literas admittunt, & sic, ut de pluribus marmoribus taceam, scribitur *in* SODALIS apud Gruterum, pag. CCCCLXVII. num. 5.

L. FLAVI L. F.
SEPTIMIO. APRO. OCTAVIANO. C. V
PLEB. SOD. HADRIA. Q. PROVINCIAE
CY-

CYPRI. SEVIR. TVRM. II. EQVIT. ROM
X. VIRO. STLITIB. IVDICAND.
EL. NERATIA. SEPTIM. OCTAVILLA
C. F. PATRI.

Hi *Sodales Hadrianales* ſæpe obvii & noti in antiquis monumentis.

Cæterum in indicibus Gruterianarum inſcriptionum a Scaligero confectis occurrit *Salius Herculanus Auguſtalis*, quem tamen ex inſcriptione, e qua illum produxit Scaliger ὁ πάνυ, neutiquam perſpicere poſſum, ſic enim legitur in Gruteri collectione, pag. MLXXXXVII. num. 7.

P. MVMMIO. P. F. GAL. SI
SENNAE. RVTILIANO
COS. AVGVRI. PROCOS.
PROVINC. ASIAE. LEGATO. AVG
PR. PR. MOESIAE. SVPERIORIS.
PRAEF. ALIMENT. PER. AEMILIAM.
PRAEF. AER. SATVRNI. LEG. LEG. VI.
VICTRIC. PRAETORI. TR. PL. QVAEST.
TRIB. LEG. V. MACED. XVIRO. STLI
TIB. IVDIC. PATRONO. MVNICI
PII. CVR. EANI. HV. SALIO. HER-
CVLANVS. AVGVSTALIS.
L. D. S. C.

Veriſſimum eſt, τὸ SALIO cum vocabulis HERCVLANVS AVGVSTALIS conjungi non poſſe, niſi legamus dandi caſu HERCVLANO AVGVSTALI, quod celeberrimus Scaliger ſine dubio fecit, quoniam in indice iſta verba conjunxit: at non credo, voces has *Salio* adjungendas eſſe, quoniam liquet, inſcriptionem loqui de *Herculanio Auguſtali*, qui P. MVMMIO hunc lapidem poſuit. Hanc conjecturam juvat idem lapis, prout habetur in Kircheri Latio vet. ac nov. pag. 192. ubi legitur πληθυντικῶς HERCVLANII AVGVSTALES. Hi ſacerdotes *Herculis* Tyburtini erant & noti e Tyburtinis inſcriptionibus, ſic lego in marmore apud Gutherium de Iur. Pontif. lib. 1. cap. 5.

C. SEXTILIVS
V. V. TIBVRTIVM
LIB. EPHEBVS
HERCVLANIVS
AVGVSTALIS.

Et in Kircheri Latio vet. & nov. p. 192.

CVR.

CVR
AED. VRB. IV. VIR
HERC. AVG.
TIBVR PATRONO
S. C.

Sed de his alio tempore plura dicam.

Denique Antonino Caracallæ poſt mortem *Salii* conſtituti ſunt, qui jure meritoque *Antoniniani* poſſent cognominari, elegans hac de re locus eſt apud Spartianum in ipſius vita, cap. II. *Habet templum, habet* SALIOS, *habet Sodales* ANTONINIANOS, *qui Fauſtinæ templum, & Divale nomen eripuit.*

CAPUT VIII.

Præſul Saliorum deſcribitur. Vates Saliorum idem qui præcentor. Fr. Iunii error. Saliorum duo chori ſaltantium & canentium: Turnebus notatur. Saliorum Magiſter deſcribitur: Papino Statio lux data. Pontifices Saliorum iidem cum Magiſtris.

DEſcripſimus varia Saliorum genera, videamus jam præſtantiſſimos in collegio Saliorum; hi fuere *Præſul*, *Vates* & *Magiſter*, de quibus diſerte

teſtatur Iulius Capitolinus in vita Antonini Philoſophi, cap. 4. *Fuit* [Antoninus] *in eo ſacerdotio* [Saliari] & PRAESUL, & VATES, & MAGISTER, & *multos inauguravit & exauguravit, nemine præeunte, quod ipſe carmina cuncta didiciſſet.* Primus, qui in Capitolini loco ſe ſe offert, eſt *Præſul*, hic in Onomaſtico veteri exponitur χοροστάτης, optimè, nam chorum ſiſtere & ſaltare facit, eumque dirigit in ſaltando; cæterum *Præſul* vocatur quoque *Præſultor* ſive *Proſaltor*, ut Salmaſius ad Capitolinum vult; in gloſſis Cyrilli. *Præſultor*, ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος. Hæc verba eleganter officium *Præſulis* inter Salios indicant, quoniam Saliorum choro *ſaltendi modum dabat*, quod Græcis dicitur ἀνάστειν χοροστασίας, ſic in verſu penultimo ſtatuæ Regillæ conjugis Herodis Attici:

Ηλάχεν Ηλυσίηισι χοροστασίησιν ἀνάσσειν.
Ipſa etenim Elyſias moderatur Diva choreas.

Præterea in gloſſario *Præſultor* exponitur κορυφαῖος, recte, quia *Præſultor Saliorum* fuit κορυφαῖος τοῦ χοροῦ, prin-

princeps ſive *primarius ſaltantium*, quem Aurelius Victor de Vir. illuſtr. cap. 3. *Saliorum Primum* vocat.

A *Præſultore* pergo ad *Vatem*, qui in Philoxeni gloſſis audit ὑμνῳδὸς, & in Onomaſtico *Præcentor*, hic Saliaria carmina præcinebat, & præcipuus τῶν ὑμνῳδῶν *cantantium* Saliorum erat, huic enim alii ſuccinebant & exinde *Succentores* dici poterant; Auguſtinus in enarrat. Pſalmi LXXXVII. *In arte Muſica* præcentor *dicitur, qui vocem præmittit in cantu*, ſuccentor *autem, qui ſubſequenter canendo reſpondet.* Talis *præcentor* erat Chenanja, de quo narratur 1. Chron. XV. ℣. 22. quod fuerit *princeps inchoandi cantica.* LXX. Interpr. ἄρχων τῆ ᾠδῆς. & ℣. 27. ἄρχων τῶν ἀδόντων. noſtrates Belgæ. **Overſte van het opheffen der Zangers.** Peſſime Iunius vertit. *Princeps muneris portandi.* Huic Saliorum *Vati* incumbebat non tantum religioſum illud miniſterium hymnos canendi, ſed et dandi cæteris modum cantus, plane quemadmodum Ariſtenætus lib. 1. epiſt. 20. de quadam muliere canentium chorum moderante ſcribit:

bit: Ἡ διδάσκαλος ἐπιβλέπει τὴν ἀπάδουσαν, καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐνεβίβαζε, χειρονομοῦσα τὸν τρόπον. *E quibus si qua discrepare visa est, respicit eam chori magistra, & ad modulum commode reducit, manibus increpans.* Porro ex his sequitur, quosdam *Salios* fuisse *saltantes*, quosdam vero carmina Saliaria *canentes*, recte igitur poëta maximus Salios in duos choros divisit, lib. VIII. Aeneid. ℣. 285.

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas & facta ferant. ------

Ad quæ Servius e schedis Petri Danielis hæc habet: *Fuere Saliorum duo chori: Senum, qui tantum voce laudes Herculis exsequebantur: Iuvenum, qui gestu corporis facta ejus monstrabant.* Nescio quid Turnebum moverit, quando lib. XIII. Adversar. cap. 8. monet, Virgilium vocis *Salii* usum hic extendere præter solitum, nempe in genere

pro

pro quocunque ſaltante ſacerdote, cum poëta de proprie dictis *Saliis* cecinit.

Tertius apud Capitolinum eſt *Magiſter* collegii Saliorum, qui erat ἔξαρχος ſive *princeps* omnium, nam, notante Caſaubono ad Capitolin. Anton. cap. 4. quos Græci Ἀρχιερέας, Ἀρχιβάκχους & Ἀρχιγάλλους aut ſimilibus vocibus deſignant, Latini *Magiſtros* ſui ordinis vocabant; Hic *Magiſter* Saliorum inaugurandi & exaugurandi poteſtatem habebat, qui ritus dum peragebantur unus e Saliis [procul dubio *Vates*] inaugurationis & exaugurationis ſolennia carmina recitabat, ſi *Magiſter* ea non haberet memoriæ infixa; alias enim ipſe *Magiſter* illa recitabat, ſic Antoninus Philoſophus, cum *Magiſter* Saliorum eſſet, multos *inauguravit & exauguravit, nemine præeunte, quod ipſe carmina cuncta didiciſſet*, teſte Capitolino. Porro ad *Magiſtrum* pertinebat cura, ut Salii juvenes & novi rite diſcerent ancilia portare, & juxta modulos rythmicos ſaltare; hinc Papinius Statius de patre ſuo quondam *Saliorum Magiſtro* cecinit lib. v. ſylv. 3. ℣. 180.

---- inde ſacrum didicit puer: ARMA PROBARE
Monſtraſti Saliis. ------

Quod idem eſt, ac ſi diceret, tu inſtituiſti Salios, quo modo ancilia portanda eſſent, & ſollenne anciliorum feſtum peragendum. Talis *Saliorum Magiſter* fuit pater Furii Bibaculi apud Valerium Maximum lib. 1. cap. 1. exempl. 9, qui filium quamvis prætorem jubebat arma ancilia ferre, ut cap. v. dixi. Præterea de *Magiſtris Saliorum* non ſilent marmora, legitur apud Gruterum, pag. CCCCLXXXIX. num. 10.

C. VOCONIO. C. F.
GAL. PLACIDO. AED.
II. VIRO. II. FLAMINI. II.
QVAESTORI.
SALIORVM. MAGISTRO.

Et in Boiſſardi parte III. Antiq. Roman. pag. 137.

L. ANTISTIVS CN. F. HOR. SARCVLO
SALIVS ALBANVS. IDEM. MAG. SALIORVM.

Hic

Hic *Magiſter* etiam appellabatur PONTIFEX SALIVS vel SALIORVM, ut e variis ἐπιγραφαῖς conſtat, legitur in Gruteri theſauro, pag. CCCXVII. num. 9.

Q. FABIO. CN. F.
GAL. GEMINO
PONTIF. SALIO
D D

Et pag. CCCCLXIV. num. 3. ara conſpicitur, in cujus latere ancile, virga oblonga & albogalerus propria Saliorum arma exſtant, cum his literis.

D. M.
M. RVBRIO. L. F.
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT. SALIO
MVNIC. ET. INCOL.
RVBRIA. PATRI
OPTIMA. POS.

His adjicio lapidem antiquum apud Onuphrium Panvinium de Civitat. Rom. cap. 31.

M.

M. RVBRIO. L. F.
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT. SALIO
MVNIC. ET. INCOL.

CAPUT IX.

Salii e patriciis electi: Iuvenalis & Cicero explicantur. Salii erant patrimes & matrimes: quo ætatis anno creabantur.

IN Saliorum collegium juvenes *patricii* tantum inaugurabantur, non a populo, ſed *Magiſtro* collegii; qui enim e plebe erant ad ſacerdotium Saliare pervenire non poterant; de primis Saliis a Numa inſtitutis ſcribit Dionyſius Halicarnaſſæus lib. II. pag. 129. Σαλίους αὐτὸς ὁ Νομᾶς ἀπέδειξεν ἐκ τῶν ΠΑΤΡΙΚΙΩΝ, δώδεκα τοὺς εὐπρεπεστάτους ἐπιλεξάμενος νέους. hoc eſt: *Salios ipſe Numa e* PATRICIIS *delegit, duodecim juvenes decore conſpicuos.* Quos Dionyſius vocat εὐπρεπεστάτους νέους ἐκ τῶν πατρικίων ſive ἐκ πατέρων εὐγενῶν, ut lib. III. pag. 173. ait, illos Lucianus *de ſaltatione* tom. I. pag. 793. nuncupat εὐγενεστάτους Ῥωμαίων, *Nabiliſ-*

hiliſſimos Romanorum. Hinc Iuvenalis inſurgit vehementer in uxores *Nobilium* & *Patriciorum*, quæ ex adulteris ignobilibus liberos producebant futuros *Salios*, quoniam credebantur eſſe filii maritorum nobilium; adſcribam verſus e ſatyra VI. ℣. 602.

Transeo ſuppoſitos, & gaudia, votaque ſæpe
Ad ſpurcos decepta lacus, atque inde petitos
PONTIFICES SALIOS, *Scaurorum nomina falſo*
Corpore laturos. ------

Immo ſatyra II. ℣. 124. indignabundus perſtringit Gracchum, qui, cum *nobilis* eſſet & *Salius*, mulierum mores ſectabatur, earumque veſtitum aſſumens viro nubebat, ſic enim canit:

Segmenta, & longos habitus, & flamea ſumit,
Arcano qui ſacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. ------

Ad quæ vetus Commentator e bibliotheca Pithœi: *Gracchus accepit veſtem novæ nuptæ, qui aliquando* SALIUS MAR-

MARTIS *fuit*. Et Cicero in oratione *pro domo ſua ad Pontifices*, cap. 14. de quodam verba faciens, qui ab alio adoptatus erat, non ut filius inſtitueretur, ſed ut e patriciis exiret, & tribunus plebis fieri poſſet, ironice tandem ſubjungit: *Ita populus Romanus brevi tempore, neque regem ſacrorum, neque flamines, nec* SALIOS *habebit, nec ex parte dimidia reliquos ſacerdotes*. Ideo Cicero ait, Populum Romanum non habiturum *Salios* & alios ſacerdotes, ſi omnes *patricii* a plebeiis adoptarentur, ſic enim nulli *Salii* creari poſſent, quoniam e *patriciis* eſſe debebant. Hinc Lucanus, lib. IX. v. 462. *Salios* appellat *lectam Iuventutem Patriciam*.

Cæterum in Saliis præter ingenuitatem requirebatur, ut eſſent *patrimes* & *matrimes*, teſtante Dionyſio, hoc eſt, qui utrumque parentem tunc temporis, cum in collegium Saliorum coöptarentur, in vivis habebant, ſic exponit Feſtus: *Matrimes ac patrimes dicuntur, quibus matres ac patres adhuc vivunt*. Conveniunt hac in re *Salii* cum Virginibus Veſtalibus, quas ne-

negant capi fas esse, nisi sint *patrimæ & matrimæ*, quemadmodum scribit Antistius Labeo apud Gellium, lib. 1. Noct. Attic. cap. 12. ubi etiam legitur, *Saliorum filias* non posse capi ad Virgines Vestales.

Quo ætatis anno *Salii* ad sacerdotium admittebantur, diserte demonstrare nequeo, Imperator quidem Antoninus Philosophus octavo ætatis anno in Saliorum collegium ab Hadriano relatus est, narrante Capitolino in vita Antonini, cap. 4. Sed hoc ipsi privilegio quodam concessum esse credo.

CAPUT X.

Saliorum vestes: inter quas tunica: Plutarchi interpres notatur: χιτὼν in epistola Judæ quid. Saliorum balthea: inquiritur, an Salii trabeati fuerint: Purpura trabea: Dionis error: Trabeas non fuisse proprias equitibus, sed & aliis contra Lipsium ostenditur.

QUandoquidem Salios satis prolixe descripsi, non ἀνεπιδιόρθωτον erit, si illorum *vestes* verbis, quantum potero, depingam; inter quas primo loco occurrit *tunica versicolor*, quam Dio-

Dionyſius χιτῶνα ποικίλον nominat, Livius *tunicam pictam*; hanc optime expreſſit cælator gemmæ 152. tom. 1. Leonardi Auguſtini: Plutarchus in vita Numæ *Salios* deſcribens ait, illos habuiſſe φοινικὰς χιτωνίσκας, vertit interpres, illos fuiſſe *trabeatos*; peſſimè ſane quam, cum φοίνιξ χιτώνισκος ſit *tunica purpurea* non vero *trabea*; in gloſſis Philoxeni χιτωνίσκος exponitur *induſium*, *interula*, & ſic ſæpe χιτὼν pro *interiori veſte* opponitur τῷ ἱματίῳ, immo ſic legitur in epiſtola Iudæ v. 23. Μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Vertit vulgatus interpres: *Odientes & eam quæ carnalis eſt maculatam tunicam.* At multo felicius Beza: *Odio habentes vel eam tunicam quæ a carnis contactu ſit maculata.* Nam χιτὼν ἐσπιλωμένος ἀπὸ σαρκὸς, eſt *tunica maculata a carne* ſive *a contactu carnis.* Sebaſtianus Caſtalio in genere χιτῶνα per *veſtem* tranſtulit. Puto equidem, illos commentatores errare, qui in præcedente Apoſtoli loco *tunicam exteriorem* intelligi volunt, manifeſtum etenim eſt, χιτῶνα hic eſſe *veſtem interio-*

riorem & carni proximam; jam quæ ſit illa *veſtis maculata a carne* docebit nos Suetonius, qui in vita Neronis, cap. 28. ait, illum, *quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceſte, ac* MACULIS VESTIS *proditum.* Plura vetat addere pudor.

Porro ſuper has tunicas Salii ſe cingebant æreis balteis, quemadmodum Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 11. ſcribit: χιτῶνας ποικίλους χαλκέαις μίτραις κατεζωσμένοι. *Super tunicas verſicolores æreis baltheis cincti:* Idem de Saliis refert Plutarchus, nempe quod fuerint μίτραις χαλκαῖς ὑπεζωσμένοι πλατείαις, *baltheis latis æneis ſuccincti.* Hinc Livius iſta baltea ob latitudinem vocat *æneum pectoris tegumen ſuper tunicam.*

Sequuntur apud Dionyſium *trabeæ*, quas Salii ſuper tunicas induebant, verba ipſius ſunt: Τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους, φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας. id eſt: *Togis purpura prætextis & fibula adſtrictis, induti, quas vocant trabeas.* De hac Saliorum veſte ſilent Plutarchus & Livius, quorum auctorum ſilentio motus Vir celeberrimus

Octavius Ferrarius lib. 1. *de Re Veſtiaria*, cap. 16. non credit, *Salios* habuiſſe *togas* vel *trabeas*, accedit ipſa ratio, quæ evincere videtur, ſine *toga* Salios fuiſſe, nihil enim, ait Ferrarius, magis incommodum ſaltanti, quam veſtimentum fuſum ac talare; ſi vero a Dionyſii parte ſtare velimus, dicendum eſſet, Salios *togas* vel *trabeas* fibula contraxiſſe, ne ſcilicet illis ſaltantibus impedimento eſſent; itaque ἐμπεπρημένοι τὰς τηβέννας, apud Dionyſium vertenda ſunt *ſuccincti* ritu Gabino, ut optime conjecit Ferrarius *l. c.* habetque hac in re ſuffragantem artificem gemmæ 152. tom. 1. collectionis Auguſtinianæ; in qua gemma Salii toga ſtricta & ſuccincta ſunt induti. Cæterum Dionyſius τηβέννας *togas* eaſdem facit cum *trabeis*, ut excerpta gloſſarum: τήβεννα, *toga.* τήβεννος, *toga*, *trabea.* Videtur & Virgilius inter Saliorum veſtes *trabeas* referre, cum lib. VII. Aeneid. v. 187. Picum regem habitu Saliorum veſtitum deſcribens canit:

--------- *parvaque ſedebat*
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat.

Ad

Ad quæ verba Donatus has nugas propinat: *Parva trabea*] *vel quia trabeæ non exſtant, aut non magni precii ſunt.* Puto enim Virgilium dixiſſe τὸ *parva* de *trabea ſtricta* & *ſuccincta*, qualem Salii in gemma Auguſtini habent; ultimam rationem, *aut quia non magni precii ſunt*, falſitatis arguit deſcriptio trabeæ a Dionyſio facta; porro non adſentior magno Lipſio, qui ad lib. III. Annal. Taciti vult, *trabeam* fuiſſe propriam veſtem equitum, non regum, ducum, vel augurum; cum tamen de regibus hoc teſtetur Iſidorus lib. XIX. Orig. cap. 24. *Trabea erat togæ ſpecies ex purpura & cocco, qua operti Romanorum reges initio procedebant.* Et Servius ad Aeneid. VII. ỳ. 187. trabeæ Deorum, Regum & Augurum meminit his verbis: *Tria ſunt genera Trabearum. Unum Diis ſacratum, quod eſt tantum de purpura: aliud Regum, quod eſt purpureum; habet tamen aliquid album: tertium augurale, de purpura & cocco.* Scaliger vero ad Feſtum in voce *Troſſuli* Trabeam diſtinguit in *Regiam*, *Quirinalem*

& *Troſſulam; Regia* erat de ſola purpura, qua reges regumque filii utebantur; *Quirinalis* concinnior, præliis apta; qua duces amicti lani fores aperiebant; *Troſſula* cocco purpuraque prætexta erat & Auguralis vocabatur. De trabea deinde Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 11. diſerte ſcribit: Ἔστι ἐπιχώριος ἀυτη Ῥωμαίοις ἐσθὴς ἐν τοῖς πάνυ τιμίοις. *Quæ veſtis* [trabea] *apud Romanos honoratioribus eſt propria.* Quid, an inter *honoratiores* non debent numerari *Reges, Augures, Salii?* hos enim ultimos *trabeatos* quoque facit Pighius in *Hercule Prodicio*, pag. 426. Diſcrimen vero fuiſſe inter equeſtrem & Saliarem trabeam crederem cum Rubenio, l. 1. de *Re Veſtiaria*, cap. 2.

CAPUT XI.

Saliorum pilei & apices: Salii tutulati. Tutulus quid? Feſti lectio defenſa. Κυρβασία. *Saliorum galeæ. Nummi duo explicantur contra Baudelotium & Dalechampium. Salii e nummis & marmoribus oſtenduntur. Salii capite velato. Ioan. Baptiſta de Rubeis notatur.*

TRanſeo ad tegumenta capitis, quibus Salii tecti erant, hæc Dionyſius Ha-

Halicarnaſſæus lib. 11. pag. 129. ſic deſcribit: Τὰς καλυμένας ἄπικας ὑπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλας ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένας κωνοειδὲς, οὓς Ἕλληνες τιαραδίους κυρβασίας. hoc eſt: *Geſtant capitibus quos vocant apices, faſtigiatos in coni formam pileos, Græci appellant* κυρβασίας. Plutarchus ait, capitis tegumenta fuiſſe κρήνη χαλκᾶ *galeas æneas.* At ordine Dionyſii locum inſpiciamus; primum dicit, Salios geſtaſſe *faſtigiatos in coni formam pileos*, hinc Minucius Felix in Octavio, *pag.* 223. illos deſcribit *pileatos*; hos pileos Romani nominabant *apices*, teſtis eſt Iſidorus lib. xix. Orig. cap. 30. *Apex eſt pileum futile, quo ſacerdotes gentiles utebantur: appellatus ab apiendo, id eſt a ligando. Nam virgula quæ in pileo erat, contexebatur filo, quod fiebat ex lana hoſtiæ.* Hanc ob cauſam Salii quoque dici poſſent *tutulati*, ut Enniano vocabulo utar, quoniam *in ſacris in capitibus habere ſolent ut metam*, [ſunt Varronis verba e lib. v i. de L. L. pag. 73.] *tutulus* enim eſt *meta* ſive *apex* pileis in vertice additus, unde

Feſtus *tutulum* exponit per *pileum lanatum, forma metali figuratum.* Sic e Romana editione legere malo, quam cum Merula ad Ennii annales, pag. 267. *formaque tali,* cum & τὸ *metali* ſtabilire videatur Varro in verbis mox allegatis; cæterum optime ad rem facit Cyrillus in gloſſis: *Apex.* τὸ ἐπὶ τῇ πλίξ ὠδάριον. quod ὠδάριον non diverſum eſt a *meta.*

Deinde Dionyſius refert, Græcos hos Saliorum *apices* appellaſſe κυρβασίας, quod an verum ſit videamus; præſtantiſſimus Heſychius κυρβασίαν exponit ὀρθὴν τιάραν, qua Perſarum reges utuntur, conſentit cum eo Galenus in lexico Hippocratis ſcribens, κυρβασίην eſſe *pileum acutum*, illumque *tiaram* dici. Quatenus igitur *apex* eſt *pileus acutus metali forma*, & κυρβασία eſt *pileus acutus*, eatenus *apex* recte vocari poteſt κυρβασία. Lubet hic *apices* Saliorum e vetuſtis marmoribus depromptos exhibere, quales expreſſit Philippus Rubenius in Elect. lib. 11. cap. 25. Primus eſt in arce Capitolina, alter vero in fornice Fabiano.

Præterea ſequens Saliorum *apex* eſt in Auguſti nummo apud Choulium, pag. 256. cui adjungo alium ex ara marmorea Pontifici Salio ſacra in Gruteri theſauro, pag. CCCCLXIV. num. 3.



His addendæ *galeæ*, quibus Salii incedunt tecti, in Admirandis Roman. Antiquitat. veſtigiis a Bellorio editis, pag. 42. ectypon heic propono:

Videtis, hos *apices* formam ferè *galeæ* habere, ideoque non immerito Plutarchum illos nominaſſe *galeas*, ex quibus

bus hanc nobis repræsentat nummus juxta mentem doctissimi Baudelotii d' Ervallii in libro, qui inscribitur *l'Utilitè des voiages*, tom. II. pag. 673.



Hunc tamen nummum ad ludos Sæculares potius referrem, cum ab una parte caduceus Mercurii exstet, ab altera vero pileus alatus vel galea cristata, & non Saliorum *apex* secundum Baudelotium. Objiceret mihi forsan aliquis, Salium galea alata Mercurii tectum ipsiusque caduceum manu tenentem occurrere in nummo Augusti apud Gutherium de *Iure Pontific.* lib. III. cap. 18. & Oudanium in *Romana Magnitudine*, tab. XCVIII. num. 5. nummum ipsum hic propono, quoniam de eo disquirendum, quemnam in argento spectamus.

Si igitur Salius galea & caduceo Mercurii ornatus in hoc nummo occurrat, cur nummus d'Ervallii ad Salios referri non poteſt? fateor, plerosque interpretes antiquæ monetæ imaginem illam pro *Salio* habere, quam tamen cum Oudanio ad *Mercurium* tanquam præconem ludorum Sæcularium referre mallem, cum nihil cum Saliis commune habeat niſi ancile. Non ſilentio hic prætereundus eſt Dalechampii error, qui ad Plinii lib. XXI. cap. 3. hæc ſcribit: „In denariis Romanis [apud Fulvium Urſinum in *famil.* 23.] „Salius effingitur amictus veſte longa dextra manu „caduceum tenens, ſiniſtra clypeum „capite galea tecto, prominenti ad „utram-

„ utramque aurem apice oblongo & a-
„ cuto. Clarum eſt, illum deſcribere eandem effigiem, quæ in Oudanii nummo extat, & explicare per *Salium* non vero *Mercurium*, qui tamen in iſta effigie latet. Majore forſan jure *Salium* agnoſco in ſequente Domitiani numiſmate apud Begerum in Theſauro Palatino, pag. 303.



Omnia Salio conveniunt, apex nempè, tunica ſtricta & ſuccincta, ancile, & minuta virgula. Huic adpendo alium argenteum ejusdem imperatoris, qui editus eſt ab Ænea Vico inter XII. Primorum Cæſarum nummos, num. 21. & explanatus a doctiſſimo Rainſſantio in diſſert. de *Lud. Sæcul.* num. 8. & 9.

in

in quo cippus cum inſcriptione, candelabrum & ſacerdos *Salius*, juxta mentem præſtantiſſimorum Antiquariorum.



Eſt hæc eadem figura, quam conſpicimus in præcedenti nummo, niſi quod loco apicis *galea* alata tectus & calceatus ſit hic Salius. Ut vero eruditi melius perſpiciant veſtitum Saliorum, producam *Salium* ex Admirandis Romanarum Antiquitatum veſtigiis opere anaglyphtico elaboratis, & a Bellorio editis, in quibus *pag.* 42. *Salius* tunica ſuccincta trabeaque indutus occurrit, pileo ſive *apice* tectus dextra virgam tenet: placet hanc effigiem proponere, quia liber ille in his oris eſt rariſſimus & in paucorum manibus verſatur.

Cæ-

Cæterum quoniam verba feci de Saliorum *apicibus* hoc tandem addo, in Auguſtini gemma, quam cap. XVII. exhibeo, nec apicibus nec galeis tecti ſunt Salii, ſed capita velata habent ritu Gabino. Plane quemadmodum ſtatua Salii in Capitolio, quam in publicam lucem protraxit Ioannes Baptiſta de Rubeis inter antiquas ſtatuas anno 1668. Romæ editas, hanc lectori propono beneficio *Illuſtriſſimi Comitis* GUSTAVI CARLZON *&c. &c. &c.* qui mihi librum illum humaniſſime ſuppeditavit ex inſtructiſſima & incomparabili ipſius Bibliotheca, quæ omni meo præconio major eſt; hanc indies auget, & ex illa ſingulari, qua præditus eſt, humanitate eruditis Muſarum corculis omnis generis libros promit, ita ut Utilitati publicæ Bibliotheca *Illuſtriſſimi Comitis* inſerviat. De hac ſtatua dicam meam ſententiam, quæ eſt, editorem iſtius libri erraſſe, cum nobis illam pro *Sacerdote Saliorum* obtruderet; & neſcio, e quibus indiciis conjecerit, hunc eſſe e Saliorum collegio.



Quan-

Quando enim hanc ſtatuam cum cura contemplor, nihil invenio, e quo *Salium* perſpicere poſſum, nec veſtes hoc ſuadent, nec patera, quam dextera tenet ſacrificaturus forſan imperator capite obvoluto.

CAPUT XII.

Ancile quomodo ſcribendum. Illius vocis variæ origines: ab anciſu: ab ἀγκυλον: ab ἀμφίχειλον. Servius notatur. Ab ἀγκων: ab ἄνεσις. Prima ab anciſu probatur. Ancile quale ſcutum. Nonii Marcelli error. Gloſſæ explicantur. Διοπετὲς. Ancilia ὅπλα dicta. LXX. *interpretes illuſtrantur.*

DE ſcripſi Saliorum veſtimenta, pergo ad illorum arma, inter quæ præcipua ſunt *Ancilia*, ideoque initium faciam ab etymologia vocis, præmiſſa tamen orthographia.

Pierius ad Virg. Æneid. lib. VIII. ℣. 664. teſtatur, *Ancilia* per 1 Latinum ſcribi in antiquis MSS. Virgilii codicibus, & in vetuſtis Antonini Pii nummis, in quibus ſcuta tria oblonga ovali fere figura conſpiciuntur cum ὅπλοις ANCILIA. *Ancile* igitur per *i* ſcribendum, &

& non per *y*, in quo ſæpe hodierni ſcriptores peccant.

Hoc vocabulum oritur juxta Varronem lib. VI. de L. L. pag. 73. ab *anciſu*: ANCILIA, inquit, *dicta ab* ANCISU, *quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, inciſa.* Hanc etymologiam non probat Scaliger ad Varronem, pag. 165. ubi *ancile* deducit ab ἀγκύλον. Quod arridet doctiſſimo Mureto, lib. XIII. Var. Lect. cap. 17. non tamen omnibus hoc Scaligeri etymon placuit, teſte Dauſquio tom. II. Orthogr. Lat. Serm. pag. 31. Feſtus in *Mamurii Veturii. Ancile appellatum eſt, quia ex utroque latere erat reciſum.* Cum Varrone conſentit Iſidorus lib. XVIII. Orig. cap. 12. ANCILE *dictum ab* ANCISIONE, *quod ſit ab omni parte veluti anciſum & rotundum.* Ab hoc non aberrat Ovidius lib. III. Faſtor. ℣. 377.

Idque ancile vocat; quod ab omni
parte reciſum eſt:
Quaque notes oculis, angulus omnis
abeſt.

Vetus Virgilii interpres ad Aeneid. lib.

VIII. ℣. 664. duas hujus vocis origines nobis tradidit, ſic etenim ſcribit: *Ancile dicitur, aut quaſi undique circumciſum, aut quaſi ἀμφίχειλον, id eſt, undique labrum habens.* Harum prima eadem eſt quæ Varronis & Iſidori, nam *circumciſum* idem quod *anciſum.* Ultima vero deridenda eſt, quoniam nimis ab *ancile* diſcedit τὸ ἀμφίχειλον. Sunt nonnulli, qui deducunt ab ἀγκων, quia ἐπ' ἀγκώνων *brachiis* geſtaretur *ancile;* alii vero ab ἄκεσις, *remedium*, quoniam *ancile* peſtilentiæ remedium tempore Numæ fuit. Hæc etyma inſulſiſſima mihi videntur, & neſcio quid Carolum Neapolim moverit, ut illa ad Ovidium traderet, recitat tamen ea quoque Ulyſſes Aldrovandus, lib. 1. *Ornithol.* pag. 92. Cæterum ſi Scaligeri etymologiam admittimus, ſcribendum eſſet *ancile* per *y* non per *i*, quam tamen ſcripturam ex antiquis monumentis oſtendi. Cum Varrone igitur *ancile* ab *anciſu* deducerem, quoniam *anciſum* hoc eſt undique *circumciſum* erat, AN enim ſive AM idem quod *circum*, & *ancile* eodem modo dicitur ut *incile* in

l. 1.

l. 1. §. 5. D. *ne quid in flum. publ.* ex eo appellatum, *quod incidatur. l.* 1. §. 1. D. *de rivis.* hinc Festus: *Incilia, fossæ.*

Demonstrabo jam quid *ancile* fuerit, Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. 12. scribit: *Ancile vocatur scutum breve & rotundum.* At Nonius Marcellus ait, pag. 578. *Ancyle, scutum grande: unde etiam nunc arma & ancyle appellatur. Virgil. lib. septimo. Lævaque ancyle gerebat.* In hoc Nonii loco ubique *ancile* scribe per *i*, nam & in Virgilii loco, quem Nonius allegat, in optimis codicibus per *i* legitur. Cæterum Grammaticus putavit, *ancile* esse scutum *grande*, quia *ancilia* pro *armis* ponebantur, cum tamen, ut recte Isidorus, fuerit scutum *breve* in citato Virgilii hemistichio, in quo significationem τῦ *ancile* non percepit Nonius, quoniam illud vocabulum sumit pro *scuto grandi* vel *armis*. Pergo ad glossas & quidem optimas Cyrilli, quæ habent: *Ancile*, διοπετὲς ὅπλον, ἀσπιδισκάριον. *Ancile* non potest in genere dici διοπετὲς ὅπλον, sed de illo ancili intelligenda est glossa, quod tempore Numæ e cælo cecidit,

de quo Scholiaſtes Cruquii ad Horatii lib. III. od. 5. *Ancilia ſcuta erant divinitus Romanis miſſa in virtutis inſigne.* Audi quoque ſcholia MS. in membranaceo Horatii codice Academiæ Friſiorum. *Ancilia arma Romani de cælo meruiſſe, per virtutes inſignes dicebantur.* Quid enim melius διοπετὲς explicat quam τὸ *divinitus* & *de cælo* in ſcholiis. Porro *ancile* poteſt exponi per ἀσπιδισκάριον, quatenus *ancile* & ἀσπιδισκάριον parva ſcuta ſunt, re vera enim ἀσπιδισκάριον eſt *parma*, quæ ab *ancili* diſcrepat; gloſſarium Philoxeni. Ἀσπιδισκάριον, *parma.* Sequitur in Cyrilli gloſſis. *Ancilia*, διοπετῆ. ſupple ὅπλα, & *Saliorum ancilia* intellige; proinde non infrequens eſt, vocabulum διοπετὲς ſine adjuncto ſubſtantivo occurrere, ſic in Actis Apoſtolicis, cap. XIX. ψ. 35. πόλις Ἐφεσίων vocatur νεωκόρος τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. *Æditua magnæ Deæ Dianæ, & e cælo delapſi*, nempe *ſimulachri*, deſideratur enim vox ἀγάλματος. Præterea habemus apud Plutarchum, ubi de Saliorum *ancili* verba facit, δι' ὁμοιότητα τοῦ διοπετοῦς, ſubintel-

tellige ὁπλα, *propter ſimilitudinem cæleſtis ancilis.* Denique in gloſſario veteri legitur. *Ancilia*, ὁπλα, ἡ δορατα. *Ancilia* dici poſſe ὁπλα, Latinè *arma*, oſtendit Nobiliſſimus Cuperus lib. 1. *Obſervat.* cap. 7. adjiciam exemplum a me in Sacra Scripturâ obſervatum, lib. 1. Regum, cap. XIV. ℣. 26. & 27. *Ancilia* aurea Salomonis & ærea Roboami a LXX. interpretibus vocantur ὁπλα χρυσᾶ & ὁπλα χαλκᾶ. Alterum vocabulum LXX. ſeniores quoque uſurpant pro *clypeis* lib. 1. Regum, cap. x. ℣. 16. Καὶ ἐποίησε Σαλωμὼν τριακόσια δόρατα χρυσᾶ. *Et fecit Salomon trecentos clypeos aureos.*

CAPUT XIII.

De anciliorum figura variæ ſententiæ. Dionyſii Halicarnaſſæi error. Vera ancilium figura e nummis oſtenditur. Petitus notatur.

QUandoquidem magna inter auctores diſcrepantia eſt de anciliorum figura, hoc capite de illa re diſſerere propoſui. Primum procedit Dionyſius Halicarnaſſæus, qui lib. 11. ſcribit,

ancile eandem figuram habuiſſe cum *Thracum peltis*; verba ſunt: Τῇ εὐωνύμῳ κατέχει πέλτην Θρᾳκίαν. ἡ δ' ἐστὶ ῥαβδοειδεῖ θυρεῷ στενωτέρους ἔχοντι τοὺς λαγόνας ἐμφερὴς, ὁίας λέγονται φέρειν οἱ τὰ Κρήτων παρ' Ἕλλησιν ὁπλιτεύοντες ἱερά. id eſt: *Siniſtra peltam Thraciam tenent* [Salii] *ea ſcuto virgato, anguſtiores habenti laterum cavitates, ſimilis eſt: qualia dicuntur eſſe apud Græcos geſtamina eorum, qui Curetum ſacra peragant.* Adſcribit Dionyſius Saliorum ancili *anguſtiores laterum cavitates*, & ſic plane Feſtus in *Mamurii Veturii*: *Ancile*, inquit, *appellatum eſt, quia ex utroque latere erat reciſum, ut ſummum infimumque ejus latius medio pateret.* Cæterum quod Dionyſius ait, Curetum ſacerdotes talia ancilia habuiſſe, in eo falſus eſt, nam in nummo Antonini Caracallæ apud Patinum in Theſauro Mauroceno, pag. 74. & in alio Maximini, pag. 82. Curetes natalitia Jovis celebrantes tenent ancilia, quæ circuli ovalis περιφέρειαν abſolvunt, neque anguſtiores laterum cavitates habent, hac forma.

Plu-



Plutarchus vero contraria via quam Dionyſius inſiſtit, quando in vita Numæ ſic ſcribit: Αὐτὰς τὰς πέλτας ἀγκύλια καλοῦσι πρὸς τὸ σχῆμα, κυκλὸς γὰρ οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀποδίδωσι, ὡς πέλτη, τὴν περιφέρειαν, ἀλλ' ἐντομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεφαλαὶ καμπὰς ἔχουσαι, καὶ συνεπιστρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας, ἄγκυλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. Quæ interpres tranſtulit: *Has peltas* [Saliorum] *ancilia appellant propter figuram. Neque enim hæc figura plane eſt circulus, aut circuli ambitum, velut pelta, abſolvit, ſed inciſionem habet lineæ cochleatim ſinuatæ, cujus capita crebris & tortuoſis anfractibus in ſe converſa aduncam figuram efficiunt.* Ex his ſequitur, *ancile* plane diverſum fuiſſe a *pelta* Thracum contra Dionyſium, & peltam

non habuiſſe *anguſtiores laterum cavitates*, ſed *circuli ambitum* abſolviſſe, ergo ſecundum Plutarchum Dionyſius male ſcripſit, Saliorum *ancilia* ſimilia fuiſſe Thracum *peltis*. Quid vero de Ovidio dicemus? qui *cavitates laterum* ab ancili excludit, quas Dionyſius Halicarnaſſæus & Plutarchus agnoſcunt, ſic canens lib. III. Faſtor. ℣. 377.

Idque ancile vocat; quod ab omni
parte reciſum eſt,
Quaque notes oculis angulus omnis
abeſt.

Secundum hanc deſcriptionem *ancile* non fuit ſinuoſum, neque habuit ἐντομὴν γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, *inciſionem lineæ cochleatim ſinuatæ*, ſed abſque omni angulo fuit ad modum figuræ plene circularis, quemadmodum apparent in Domitiani nummis, quos *pag.* 59. & 60. exhibui, & in quo ancili apud quosdam antiquarios ſculptum conſpicitur caput Palladis galeatum, quoniam Pallas dicitur inſtituiſſe ſaltationem armatam, ut optime e Dionyſio Halicarnaſſæo obſervat eruditiſſimus Franciſcus Bianchini in *Hiſtoria univerſali* e veterum monumentis, nummis

&

& marmoribus adornata, *pag.* 294. Hoc modo etiam occurrunt in Antonini nummo Thesauri Ducis Arschotani, tab. XXIII. num. 7.



Huic subjungo alium, qui exstat apud Gutherium de *Iure Pontif.* lib. I. cap. II.

Cum Dionyſio vero & Plutarcho convenit figura anciliorum in Auguſtini gemma 152. tom. 1.



Nec diſcrepat ab his ancile Salii, quod reperio in ara apud Gruterum, in theſauro inſcriptionum, pag. CCCCLXIV. num. 3. hoc modo.



Et in nummo apud Choulium de *relig. Roman.* pag. 256. ancilia duo ab utraque parte apicis proſtant.

In



In hoc tamen nummo apud Gutherium lib. 1. cap. 11. de *Iure Pontif.* ubi etiam extat, ancilia figuram habent *ovalem* ſine *laterum inciſione* & ſex numero ſunt, quæ in Choulii nummo in duo coaluerunt, ita ut alteruter illorum nummum non accurate inſpiciens erraverit. Præterea eleganter cum his facit Varro lib. VI. de L. L. pag. 73. *Ancilia dicta ab anciſu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, inciſa.* Cæterum Petitus in diſſert. *de Amazonibus*, cap. 25. conciliare conatur auctorum diſcrepantiam de anciliorum figura, & putat, Ovidium in ancilis deſcriptione intelligen-

gendum esse, quasi memoratam *laterum compressionem* non excluderet, sed tantum *angulos*; quod nequaquam probo, nam si Ovidius excludit *angulos*, sequitur, illum quoque excludere *cavitates laterum*, quæ quatuor *angulos* efficiunt.

CAPUT XIV.

Dionysii & Plutarchi narrationes de ancili e cælo delapso producuntur. Aliique auctores cum his comparantur. Ancile διοπετὲς unde fuit excogitatum.

PRæcedenti capite etymologiam & figuram anciliorum produxi, hoc dicam, unde Sacerdotes Salii ancilia acceperint, & quis istorum auctor exstiterit, in hac re meliores testes citare non possum, quam Dionysium & Plutarchum, quamobrem historiam illorum verbis descriptam exhibebo. Dionysius Halicarnassæus lib. 11. pag. 130. sequentia habet: Πολλαῖς πάνυ ἔτεσι πέλτας, μίαν εἶναι λέγουσιν διοπετῆ. εὑρεθῆναι δ' αὐτὴν φασιν ἐν τοῖς βασιλείοις ἔτ Νομᾶ, μηδενὸς ἀνθρώπων εἰσενέγκοντος, μηδ' ἐγνωσμένης πρότερον ἐν Ιταλοῖς τοιάδε σχήματος.

ἐξ

ἐξ ὧν ἀμφοτέρων ὑποληβεῖν Ρωμαίους θεόπεμπτον εἶναι τὸ ὂπλον. βληθέντα δὲ τὸν Νομᾶν ἡμᾶσθαι τε αὐτὸ φερόμενον ὑπὸ τῶν κρατίστων νέων ἐν ἱεραῖς ἡμέραις ἀνὰ τὴν πόλιν, καὶ θυσιῶν ἐπετείων τυγχάνειν, δεδοικότα ἢ ἐπιβουλὰς πὰς ἀπ' ἐχθρῶν καὶ ἀφανισμὸν αὐτῷ κλοπαῖον, ὅπλα λέγουσι πολλὰ κατασκευάζασθαι τῷ διοπετεῖ ὁμοιώσια, Μαμυρίου τινὸς τὸ ἔργον δημιουργοῦ ἀναδεξαμένου, ὥστε ἄσημον γενέσθαι καὶ δυσδιάγνωστον πᾶς μελλοῦσιν ἐπιβουλεύειν τὴν ὑπὸ θεοπέμπτου φύσιν, διὰ τὴν ἀπομίμησιν τῶν ἀνθρωπίνων ἔργων ὁμοιότητα. hoc est: [1] *Valde multæ sunt peltæ, quarum unam dicunt* [2] *delapsam cælitus, eam repertam esse in* [3] *regia Numæ, illatam eò a nemine, ac ne visam quidem ad id temporis talem formam in Italia. E quibus duobus* [4] *conjecisse Romanos hoc ancile divinitus ad se missum esse, quod cum Numa vellet per urbem festis diebus circumferri a præstantissimis juvenibus, & annuis honorari sacrificiis, veritum* [5] *insidias inimicorum & furta, ferunt fabricasse multa illi similia, usum opera &* [6] *industria Mamurii cujusdam, ut indiscreta humani operis similitudo* [7] *insidiatoribus*

omnem

omnem internoſcendi divinitus miſſi ancilis facilitatem adimeret.

Cum hac narratione lubet mihi comparare cæteros auctores, qui anciliorum originem literis mandarunt, Dionyſii igitur locum aggredior illuſtrare.

Dionyſii Halicarnaſſæi comparatio cum aliis auctoribus.

(1) *Valdè multæ ſunt peltæ.*] *Duodecim*, ut è Plutarcho liquet.

(2) *Delapſam cælitus*] hinc Virgilius l. VIII. Aeneid. ỳ. 664. *lapſa ancilia cælo*, & Livius lib. 1. ea vocat *cæleſtia arma*; Statius vero lib. v. ſylv. 2. ỳ. 131. *clypeos nubigenas*. Procopius ad Eſaiæ 44. *ancilia* quoque vocat ἀγάλματα διοπετῆ. Cæterum doctiſſimus Stephanus le Moyne in notis ſuis ad *Var. Sacr.* pag. 366. hoc *ancile* διοπετὲς excogitatum putat ex eo, quod Deus in Scriptura vocetur *clypeus ſuorum fidelium* & præcipue *Abrahami*, Gen. xv. ỳ. 1. Deus tanquam clypeus fideles ſuos protegit; ſic putabant Romani, hunc clypeum conſervare urbem, & ſe ſuosque lares tueri.

(3) *Numæ regia*] Ponitur in regione urbis

urbis VIII. a Victore & Onuphrio Panvinio. Servius in ſchedis Fuldenſibus accurate ſitum indicat: *Quis ignorat? regiam, ubi Numa habitaverit, in radicibus Palatii, finibusque Romani fori eſſe.*

(4) *Conjeciſſe Romanos*] Servius ad Aeneid. VIII. ℣. 664. *cum aruſpices reſpondiſſent illic fore urbis imperium ubi illud* [ancile] *fuiſſet.* Ad Aeneid. VII. ℣. 188. dicit: *Data reſponſa ſunt*, nulla haruſpicum mentione facta, ex quo ambiguum eſt, an a *Diis* an ab *haruſpicibus* reſponſa data fuerint. Feſtus enim videtur ad *Deos* referre, cum ait: *Unaque edita vox* eſt.

(5) *Inſidias inimicorum & furta*] Servius l. c. *ne aliquando poſſet auferri aut ab hoſte cognoſci.*

(6) *Induſtria Mamurii.*] Servius l. c. *Diligentia Numæ, adhibito Mamurio fabro, multa ſimilia facta ſunt.* Hinc Ovidius lib. III. Faſt. ℣. 383.

Mamurius morum fabræne exactior artis,
Difficile eſt, illud, dicere, clauſit opus.

Et

Et Propertius lib. IV. Eleg. 2. ℣. 61.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Præterea teſtatur hoc de Mamurio Bernardus Gamucci in libro, qui inſcribitur, *le antichita della citta di Roma*, pag. 130. ubi de vico Mamurri & Saliis agit: *Queſto ingegnoſo mæſtro Mamurro troua ancora fra l' altre ſue degne inventioni il modo di fabricare quella ſorte di ſcudi da loro chiamati Ancili, i quali erano da dodici ſacerdoti di Marte, chiamati Salii, portati in braccio per la citta nelle ſolennita di certe feſte ordinate da Numa Pompilio, eſſendo queſti veſtiti d' una veſte depinta con pettorale tutto fregiato d' oro & argento, di precioſe gioie ricamato.*

(7) *Inſidiatoribus internoſcendi facultatem adimeret*] Ovidius:

Error ut ante oculos inſidiantis eat.

Feſtus: *ne internoſci cæleſte poſſet.*

Poſt Dionyſium procedit Plutarchus, qui

qui in vita Numæ Pompilii sic scribit: Ἐτῷ ὀγδόῳ Νομᾶς βασιλεύοντος, λοιμώδης νόσος πᾶσαν ἔθνη τὴν Ἰταλίαν ἐτρόβησε, καὶ τὴν Ῥώμην, ἀθυμούντων ἤδη τῶν ἀνθρώπων, ἰσοπεσοῦσα χαλκῆν πέλτην ἐξ οὐρανοῦ καταφερομένην, εἰς τὰς Νομᾶ πεσεῖν χεῖρας. ἐπὶ δὲ αὐτῇ θαυμασίου λόγου λέγεσθαι ὑπὸ τοῦ βασιλέως, Ἠγερίας τε καὶ τῶν Μουσῶν πυθέσθαι. τὸ μὲν γὰρ ὅπλον ἥκειν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς πόλεως, καὶ δεῖν αὐτὸ φυλαττεσθαι, γενομένων ἄλλων ἕνδεκα, καὶ σχῆμα καὶ μέγεθος καὶ μορφὴν ἐκείνῳ παραπλησίων, ὅπως ἄπορον εἴη τῷ κλέπτη δι' ὁμοιότητα τοῦ διώκτου ἁπτεσθαι. Quæ verba jure Latio donata sic se habent: [1] *Octavo anno regni Numæ, pestilentia, quæ per Italiam vagabatur, urbem Romam quoque vastabat, perculsis civibus, tradunt peltam æneam* [2] *in manus Numæ cælitus delapsam. De hac mira prædicasse regem, ex Egeria se & Musis accepisse, esse ancile id* [3] *ad salutem urbis missum, & servandum cum* [4] *undecim aliis, quæ pari figura, amplitudine, & forma facienda erant, ne quis fur commodè propter similitudinem intervertere cælestia valeret.*

Plutarchi comparatio cum aliis auctoribus.

(1) *Octavo anno Numæ.*] Festus in *Mamurii* & Servius ad lib. Aeneid. VIII. ℣. 664. non designant annum, scribunt enim: *Numa Pompilio regnante.*

(2) *In manus Numæ.*] Sulmonensis vates lib. III. Fastor. ℣. 371. ancile humo delapsum & postea a Numa sublatum esse, canit his versibus:

A media cælum regione dehiscere cæpit:
Submisere oculos cum duce turba suos.
Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit. a populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus cæsâ prius ille juvencâ,
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.

(3) *Ad salutem urbis missa & servanda*] Festus: *Unaque edita vox, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset.* Hinc Florus lib. I. cap.

cap. 2. ancile vocat *ſecretum imperii pignus*, quoniam fatum imperii in illo conſiſtebat.

(4) *Undecim aliis pari figura*] Ovidius lib. III. Faſtor. ℣. 379.

Tum memor imperii ſortem conſiſtere in illo,
Conſilium multæ calliditatis init.
Plura jubet fieri ſimili cælata figura;
Error ut ante oculos inſidiantis eat.

Feſtus: *Facta ſunt ejuſdem generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cæleſte poſſet.*

CAPUT XV.

Anciliorum Feſtum quo menſe & quo die celebratum. Mamuralia. Hadriani Iunii error. Feſtum per quot dies celebrabatur. Recenſentur illa quæ tempore hujus feſti facere non licebat. Salii hoc tempore ancilia feriebant: diſquiritur an pugionibus vel lanceis & virgis illud fecerint. Plutarchus & Dionyſius conciliantur.

ANciliorum originem oſtendi, ſupereſt igitur, ut de ſolenni feſto, in

quo ancilia circumferebantur, differam. Festum hoc singulis annis celebrabatur, hinc *ancilia* nominantur ARMA ANNALIA, quia quotannis mense Martio movebantur, in vetusto lapide apud Gruterum, pag. CLXXIII. num. 5. sic enim legendum, ut optime vidit Amplissimus Cuperus, lib. IV. *Observ.* c. 2. cum prisca lectio MAGNALIA maxime torqueret Borrichium *de var. L. L. ætat.* p. 158. & Menagium in *Amœnitat. Jur. Civ.* cap. 39. pag. 302. Festum ipsis Kalendis Martii mensis incipiebat, quemadmodum liquet e Kalendario membranaceo vetere, quod plerumque Ovidii Fastis adjicitur, in quo hæc ad Kalendas Martias adscripta sunt. FESTVM MARTIS ET IVNONIS. ANCILIA FERVNTVR. Ovidius cecinit, primum festi diem Kalendis Martiis incipere, non vero statim post Kalendas, ut contra Carolum Neapolin recte observat eruditissimus Cuperus, lib. IV. *Observ.* cap. 2. In Kalendario vero sub Constantio Constantini filio circa annum Christi CCCLIV. composito ad septimum Idus Martii ancilio-rum festum refertur, legitur ibi. VII.

IDVS.

IDVS. ARMA ANCILIA MOVENT. & in eodem Kalendario pridie Idus ſive decimo quarto Martii ultimus feſti dies ponitur, quoniam habetur MAMVRALIA; dies enim ultimus ſacer fuit Mamurio, quo Salii laudes illius canebant; Servius ad Aeneid. lib. VII. ỳ. 188. *Cui* [Mamurio] *& diem conſecrarunt;* nempe *Mamuralia.* Hinc notandus Hadrianus Iunius, qui in lib. Faſtorum ad primum Martii diem ſic ſcribit: *Ancilia arma Martis e cælo lapſa Salii ſacerdotes circumferebant, Mamuriumque canebant.* Putat Iunius, Salios primo Martii die laudem Mamurii ceciniſſe, quod falſiſſimum eſt, cum *Mamuralia* in decimum quartum diem incidant, ut e vetuſto Kalendario oſtendi. Plutarchus in vita Numæ tantum menſem deſignat: Τὰς ἱερὰς πέλτας ἀναλαβῶσιν ἐν τῷ Μαρτίῳ μηνὶ. *Sacras peltas ferunt menſe Martio.* Dionyſius Halicarnaſſæus ait, anciliorum feſtum in Panathenæa incidere, verba lib. II. pag. 129. ſic ſe habent: Ἑορτὴ αὐτῶν ἐστι περὶ τὰ Παναθήναια τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνὶ δημοτελὴς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγομένη. *Eorum* [Saliorum] *feſtum*

ſtum incidit in Panathenæa menſemque Martium, agiturque publice ad dies aliquot. Per triginta dies ait Polybius in excerpt. legation. cap. 23. Τελακονθήμερον μὴ μεταβαίνειν κατὰ τὸν καιρὸν τ θυσίας ἐν ᾗ ἄν χώρᾳ καταληφθῶσιν οἱ Σάλιοι ἔτι. hoc eſt: *Quocunque in loco fuerint deprehenſi Salii tempore triginta dierum ejus ſollennitatis, ex eo ne diſcedant.* Porro ſi Polybius tempus feſti vere definivit, neſcio quid dicam de Kalendario ſtatim laudato, in quo primus feſti dies in VII Idus ponitur, & ultimus ſive *Mamuralia* in pridie Idus; ſic enim Saliorum feſtum ſex dierum eſſet, qui numerus maxime a Polybiano diſcrepat; feſtum tamen per plures dies quam ſex fuiſſe celebratum, ex eo quoque liquet, quod ad ipſos quinquatrus ab aliis extendatur, qui quinquatrus initium habebant decimo nono Martii, ſic Soſipater Chariſius lib. I. Inſtitut. Gram. pag. 62. narrat, ancilia hoc die luſtrari ſolita, verba ſunt: *Quinquatrus a quinquando id eſt luſtrando, quod eo die arma ancilia luſtrari ſint ſolita.*

Cæterum omne illud tempus, quo ancilia movebantur, infauſtum erat, & tanta

tanta religio animos hominum obſederat, ut eo nihil publice geri, non caſtra moveri, non iter ſuſcipi fas eſſet, & qui hæc negotia feciſſet, ſacer improbusque habebatur; de itinere non ſuſcipiendo teſtatur Livius lib. XXXVI I. cap. 33. *Stativa deinde ad Helleſpontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte, quibus ancilia moventur, religioſi ad iter inciderant.* Hujus feſti tempore veteres non ſuſcepiſſe expeditiones certum eſt, hunc morem tamen infregit Imperator Otho, ut annotat Suetonius in ipſius vita, cap. 8. *Expeditionem impigre atque etiam præpropere inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, ſed & motis, necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infauſtum haberetur.* De hac Othonis expeditione ſcribit Tacitus lib. I. Hiſtor. cap. 89. hunc in modum: *Fuere qui proficiſcenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent.* His igitur feſti diebus, quibus non licitum erat expeditionem ſuſcipere, hoſtemque bello aggredi, opponebantur *præliares dies*, de quibus Feſtus: *Præliares dies appellantur, quibus*

bus fas eſt bello hoſtem laceſſere, erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere. Inter has ferias publicas numerari quoque poteſt feſtum anciliorum. Præterea his diebus nec Saliis licet exercitum adire, ſic Livius lib. XXXVII. cap. 33. *Iidem dies Publium Scipionem propiore religione, quia Salius erat, disjunxerant ab exercitu.* Scribit Alfonſus Loſchi in lib. dicto, *Comentari di Roma e ſerie degl' Imperatori.* edito Vicentiæ anno præteriti ſæculi ſexageſimo octavo, *pag.* 160. Salios quoque, quando exercitus victor rediret, Marti gratias egiſſe pro relata victoria tam ſaltatione quam cantu, verba ejus ſic ſe habent: *Diſſero Salii a* Saliendo, *perche quando ritornavano gli eſerciti vittorioſi li ſacerdoti con ſuoni, ſalti e canti rendevano in quella maniera gratie a Marte delle Vittorie ottenute contro nimici.* Quod ubi legerit, me neſcire fateor, nec factum unquam credo, cum Salii tantum menſe Martio celebrarent feſtum ſtatis diebus.

Ominoſum etiam erat tempore hujus feſti nubere, Kalendarium vetuſtum. FE-

STVM

STVM MARTIS ET IVNONIS. ANCILIA FERVNTVR. NON EST BONVM NVBERE. Et in Kalendario Thomæ Dempſteri ad primum Martii legitur. MARTIS. ANCILIORVM FESTVM. NEC NVBERE BONVM, QVOVSQVE CONDANTVR. idem teſtatur Ovidius lib. III. Faſtor. ℣. 393.

Nubere ſi qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna eſt aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit.

Immo nec Flaminica Dialis per totum feſti tempus ſeſe pectebat, teſte Ovidio *l. c.*

His etiam conjux apicati cincta Dialis
Lucibus impexas debet habere comas.

In hoc anciliorum feſto Salii ancilia movebant, vel ut Minucii Felicis verbis in Octavio, pag. 223. utar, *ſcuta vetera circumferebant* per urbem, pugioni-

bus ea percutientes, ut Plutarchus ſcribit: ἐγχειριδίοις μικροῖς τὰ ὅπλα κρούοντες, *minutis pugionibus ancilia pulſantes.* At Dionyſius Halicarnaſſæus tradit, Salios dextra habuiſſe *lanceas* vel *virgas*, & gladiis accinctos fuiſſe: παρέζωσται ἕκαστος αὐτῶν ξίφος, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ λόγχην ἢ ῥάβδον, ἢ ἄλλο τοιοῦτόν τι κρατεῖ. id eſt: *Accincti gladio ſinguli, dextra tenent lanceam aut virgam aut tale quid.* Ergo ex Dionyſii ſententia non *pugionibus*, ſed *lanceis* aut *virgis* ancilia percutiebant, plane quemadmodum Servius ad Aeneid. lib. VII. ℣. 188. ait, Salios tempore feſti *pellem virgis ferire*, legendum omnino cum nobiliſſimo Cupero *peltam*; cæterum cum Dionyſius mox ſubjungit, χορείαν καὶ κίνησιν ἐνόπλιον καὶ τὸν ἐν τοῖς ἀσπίσιν ὑποτελούμενον ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ψόφον, ἅπερ δεῖ τοῖς ἀρχαίοις πεμπηριῶδαι λόγοις, κρῆτες ἦσαν οἱ πρῶτοι καταστήσαμενοι. *Choream & ſaltationem armatam, quæ in clypeis crebros gladiolis ciet ſtrepitus, ſi quid ex antiquis ſcriptis ſumendum eſt conjecturæ, primi Curetes inſtituerunt.* Conſtat, illum indicare, Saliorum mo-

morem percutiendi ancilia a Curetibus ortum esse, qui eum peragebant in scutis ἐγχειριδίοις, *pugionibus*, quemadmodum Dionysius vult, & Plutarchus de Saliis refert: Hinc puto, & Plutarchum & Dionysium verum dixisse, etsi unus scripserit, Salios in percutiendis scutis usos esse *pugionibus*, alter vero *lanceis* aut *virgis*; si enim Salii ritum pulsandi *pugionibus* ancilia a Curetibus acceperunt, verisimile est, illos quoque habuisse ab iisdem morem percutiendi ancilia *lanceis* & *virgis*, cum ipsi Curetes in sua saltatione *pugionibus*, *lanceis* vel *virgis* usi fuerint, quod præclare liquet e nummo Caracallæ, quem peculiari epistola illustravit celeberrimus Patinus, in hoc enim tres Curetes circa Iovem saltantes conspiciuntur, unus eorum *pugione*, alii duo *lanceis* sive *virgis* scuta percutiunt, nummum ipsum hic exhibeo, quoniam epistola illa Patavii impressa in pauciſſimis reperitur Bibliothecis, & dissertationes istæ epistolicæ plerumque negliguntur ob minorem molem, nec ubique prostant.

C A-

CAPUT XVI.

Ancilia in Sacrario Martis ſervata. Sacrarium quid? Acta Apoſtolica illuſtrantur. Ancilia & haſtæ Martiæ ſponte motæ quid portendebant? Manſiones Saliorum. Manſiones pro diverſoriis vel ſtationibus. Tomaſinus notatur. Ancilia in domo Pont. Max. quando adſervata. Saliorum curia ubi ſita.

HOc capite perſcrutabor, quo in loco ancilia Saliorum per totum anni ſpatium, priusquam movebantur, ſervata fue-

fuerunt, & ubinam tempore publici proceſſus ſingulis noctibus erant. Monumenta antiqua docent nos, ancilia fuiſſe ſervata in ſacrario Martis Gradivi, cui Salii dicati erant, ut cap. IV. dixi. Hoc antequam clarius probo, demonſtrandum eſt primum, qualis locus apud veteres *Sacrarium* fuit; Iſidorus lib. XV. Orig. cap. 5. *Sacrarium proprie eſt locus templi, in quo ſacra reponuntur.* Hinc a Cyrillo in gloſſis exponitur per ἱεροθήκην, repoſitorium rerum ſacrarum. Legitur in iiſdem gloſſis. *Sacrarium*, ναϊσκάριον. id eſt parvum templum, ut etiam erant illi ναοὶ ἀργυροῖ Ἀρτέμιδος, in Act. Apoſtol. cap. XIX. ℣. 24. quæ verba doctiſſimus Beza intellexit de nummis, in quibus templum Dianæ percuſſum erat, cum revera fuerint ναΐδια ἀργυρᾶ, *ædiculæ argenteæ*, quæ artificium templi Epheſini referebant, ut optime obſervavit ad hunc locum magnus Caſaubonus, in quibus Dianæ icuncula poſita erat, eadem fere figura, qua nobis talem ædiculam æneam exhibet Nicolaus Chevalier in libello, cui titulum impoſuit, *Remarques ſur*

la

la piece antique de bronze, pag. 81. Sed redeo ad gloſſas; Philoxeno ναϊσκάριον eſt *ædicula*, *ſacellum*; ergo *Sacrarium* eſt ædes parva, juxta templum vel in illo conſtructa, ſive ſacra cella, in qua res ſacræ occludebantur. Illud hic notandum eſt, quod *Sacrarium* non tantum in templo, ſed & in privato ædificio eſſe poſſit. Ulpianus *l.* 9 § 2. D. *de rer. diviſ.* ſcribit: *Sacrarium eſt locus, in quo ſacra reponuntur: Quod etiam in ædificio privato eſſe poteſt: & ſolent, qui liberare eum locum religione volunt, ſacra inde evocare.* Sacrarium igitur Martis fuit in ipſius templo locus, ubi ſacræ res exſtabant, inter quas ancilia numerabantur, Servius tamen ad Aeneid. VIII. ℣. 664. tradit, ancilia in *templo Martis* locata fuiſſe, ad Aeneid. vero VII. ℣. 603. accuratius locum deſcribit, eum vocans *Sacrarium Martis*.

Hæc ancilia, indicto bello, ibi movebantur, teſtante Servio *l. c.* ad verba Virgilii

------ *cum prima movent in prælia Martem.*

Mo-

Moris, inquit, *fuerat, indicto bello, in Martis ſacrario ancilia commovere.* Immo non tantum ancilia, ſed & haſtam Martis movebant, idem præſtantiſſimus Grammaticus ad Aeneid. lib. VIII. ℣. 3. *Is qui belli ſuſceperat curam*, [Lipſius ad Tacitum *Conſulem* intelligit] *Sacrarium Martis ingreſſus, primo ancilia commovebat, poſt haſtam ſimulacri ipſius, dicens* MARS VIGILA. Si vero ancilia ſponte ſua eſſent mota, bellum futurum indicabant; hinc ut prodigium notatur a Iulio Obſequente, cap. 104. *Ancilia cum crepitu ſua ſponte mota.* Hoc ſcilicet factum eſt ante finem Cimbrici belli, ſic epitome Liviana 68. *Ancilia cum ſtrepitu mota eſſe, antequam Cimbricum bellum conſummaretur, referuntur.* Schefferus mavult apud Iulium Obſequentem legere *cum ſtrepitu*, mihi proba lectio *cum crepitu* videtur. Præterea, quemadmodum ancilia ſic & haſtas Martias in ſacrario ſponte motas bellum prædicere, opinio erat, legitur in vetere Senatus-conſulto apud Gellium lib. IV. Noct. Attic. cap. 6. QVOD C. IVLIVS. L. F. PONTIFEX. NVNCIAVIT.

VIT. IN. SACRARIO. IN REGIA. HASTAS. MARTIAS. MOVISSE. DE. EA. RE. ITA. CENSVERVNT. De hoc motu loquitur quoque Iulius Obſequens, cap. 104. *Haſtæ Martis in regia ſua ſponte motæ.* Redeo ad ancilia, quæ imperator Heliogabalus e Martis ſacrario transferre voluit in templum Dei Heliogabali, quod Romæ ædificarat, narrante Aelio Lampridio in illius Imperatoris vita.

Supereſt, ut dicam, quo in loco ancilia tempore publici proceſſus nocte erant. Cum per plures dies ancilia circumferrentur, neque ſingulis veſperis ad *Sacrarium* Martis cuſtodiæ annuæ deſtinatum referri poſſent, ædificia ſtruxerunt, in quibus ancilia tempore hujus feſti nocte cuſtodiebantur, Salii pernoctabant, & genio indulgebant; hæc ædificia appellantur *Manſiones* in vetuſta inſcriptione apud Ferretium, Muſ. Lapid. pag. 11. & Gruterum, pag. CLXXIII. num. 5.

MANSIONES. SALIORVM. PALATINORVM. A. VETERIBVS.

OB.

OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS

LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT.

PONTIFICES. VESTAE. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO.

PORTI. ACILI. LVCILLI. VITRASI. PRAETESTATI.

V. V. C. C.

Sic primus τὸ MANSIONES in hoc lapide explicavit eruditiſſimus Cuperus lib. IV. *Obſerv.* cap. 2. Olaus Borrichius enim in *Antiq. Urb. Rom. facie*, cap. 12. vult, MANSIONES ibi eſſe *domunculas* Saliorum ad ſacrarium conſtructas. Attamen ne quis dubitet, ædificia dici MANSIONES, in quibus homines pernoctabant, id clarius demonſtrabo. *Manere* pro *pernoctare* apud optimos linguæ Latinæ auctores in uſu eſſe, ſatis demonſtravit celeberrimus Salmaſius ad Capitolini Antoninum Philoſophum, hinc *Manſiones* ſunt diverſoria, in quibus viatores noctu ſe recipiebant, ſic occurrit in ἐπιγραφῇ apud Pignorium, lib. *Symbolar. epiſtolic.* epiſt. 27. quæ exſtat in æde D. Floriani.

MARTINA CHARA CONIVX
QVAE
VENIT DE GALLIA PER MANSIONES
L. VT COMMEMORARET
MEMORIAM MARITI SVI
BENE QVIESCAS. DVLCISSIME
MI MARITE.

Cæterum pro militum receptaculis legitur apud Ambrosium in Psalm. CXVIII. *Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit.* Huc quoque referendæ sunt MANSIONES ALBANAE in regione secunda Rufi & Victoris. Quemadmodum *Saliorum Mansiones* in vetusto lapide occurrunt, sic & Isidis ministri sua ædificia *Mansiones* dicta habuerunt, ut Salmasius ad Spartiani Caracallam observat e sequenti inscriptione:

PRO SALVTE. DOMVS. AVGVSTAE.
CORPORA. PAVSARIORVM. ET
ARGENTARIORVM. ISIDI
ET. OSIRI MANSIONEM
AEDIFICAVIMVS.

Hanc

Hanc inſcriptionem exhibet quoque Tomaſinus *de donariis Veter.* cap. 3. cum hac differentia, pro AVGVSTAE habet AVGVSTI, pro CORPORA EX. CORPORE, pro PAVSARIORVM PAVSANIORVM, aitque, eam Romæ erutam anno 1634. cum tamen Salmaſius anno 1620. in notis ad Caracallam Spartiani eam edidiſſet.

Porro nobiliſſimus Cuperus lib. IV. *Obſerv.* cap. 2. obſervat, ancilia per unam noctem vel forte plures in domo Pontificis Maximi ſervata, dum circumferebantur; ſic Dion Caſſius lib. XLIV. refert inter prodigia, quæ cædem Cæſaris præceſſerant ea nocte, quam cædes ſecuta eſt, ſonitum anciliorum in ſummi Pontificis domo: Πρὸς γὰρ ὅπλα τὰ Ἄρεια παρ' αὐτῷ τότε, ὡς καὶ Ἀρχιερεῖ κατὰ τὸ πάτριον κείμενα, ψόφον δ' νυκτὸς πολὺν ἐποίησε. id eſt: *Præterea arma Martis, quæ ſecundum inſtituta majorum tunc apud ipſum ſummum pontificem repoſita erant, noctu ſonitum dederunt.* Convenit eleganter hic locus cum vetuſto Kalendario, quod edidit Lambecius tom. IV. *Biblioth. Vindobon.* quoniam *Mamuralia* in eo exponuntur ad

diem XIV. Martii ſive pridie Idus, Cæſar vero ipſis idibus trucidatus eſt; ergo mos fuit, ut, ſi non reliquis, ſaltem ultimo feſti die ancilia in Pontificis Maximi domo deponerentur, & ſequenti die forſan in ſacrario Martis conderentur.

Præter has manſiones Sacerdotes Salii habuerunt *Sacrarium* in monte Palatino, unde *Palatini* cognominati, ut cap. v. dixi, in quo præter alia inſtrumenta ſacra adſervabatur Romuli lituus auguralis, Valerius Maximus lib. 1. c. 8. exemp. 11. *Deuſto Saliorum* SACRARIO, *nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum eſt.* Hoc ſacrarium ab aliis *curia Saliorum* appellatur, ſic Cicero lib. 1. de Divinat. cap. 17. ait: *Cum ſitus eſſet* [Romuli lituus] *in* CURIA *Saliorum, quæ eſt in palatio, eaque deflagraviſſet, inventus eſt integer.* Audi cauſam, ob quam lituus conſervatus eſt hoc incendio, & ride ſuperſtitionem Jacobi Lauri, qui hoc modo ſcribit in *Antiq. Urb. Splend.* part. 11. pag. 56. „Inventus eſt lituus imcombuſtus ac „integer, a dæmone quidem præſer-

„va-

„vatus, ut nefariam augurandi disci-
„plinam, quæ impie lituo fiebat, mi-
„seris Romanis suaderet.

Curia hæc posterioribus temporibus instaurata est, quoniam Victor in regione decima, quæ est *Palatium*, CVRIAM SALIORVM ponit, cum longe antea deflagrasset; Victoris enim descriptio XIV. regionum Augusti tempora spectat, quandoquidem ille, Suetonio teste, Urbem in regiones XIV. divisit, ideoque Augusti ævo sine dubio instaurata exstitit. Situm hujus curiæ certum indicari non posse, putat Nardinus lib. VI. *Rom. Vet.* cap. 12. at Olaus Borrichius in *Antiq. Urbis Rom. facie*, cap. 12. conjicit, hoc *Sacrarium* sive *curiam* fuisse in *vico Curiarum Veterum*, & quidem *in abdito Curiæ Veteris*. Iacobus Laurus in *Antiq. Urb. Splend.* part. II. pag. 56. *curiam* quoque in monte Palatino constituit, & ex illo delineationem hujus curiæ produco, non dico veram, quandoquidem credo, Jacobum Laurum ex ingenio delineavisse hoc ædificium, ut pleraque sua sunt fictitia.

CAPUT XVII.

Salii quomodo ancilia geſtabant. Lucanus & Statius explicantur. Gemma illuſtratur. Ancilia loris tenebant: Lubini error indicatur. Coronæ Saliorum ſutiles: Iuſtini Philoſophi locus emendatur & illuſtratur.

DIonyſius Halicarnaſſæus ſcribit, Salios ſiniſtra manu ancilia tenuiſſe; alii vero volunt, illos ancilia collo portaſſe, ſic Lucanus lib. 1. ℣. 603.

------ *Salius læto portans ancilia collo.*

Læto collo ait, quoniam in portandis hiſce ſcutis ſaltantes & canentes ſe lætos oſtendebant; & idem poëta lib. IX. ℣. 460.

------- *delapſaque cælo*
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A Superis demiſſa putant. Sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numæ, quæ lecta juventus
Patritia cervice movet: ----

Præ-

Præterea hujus ritus meminit Statius, qui lib. v. ſylv. 2. ℣. 129. ad Criſpinum canit:

---- humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permiſit plaudere collo
Nubigenas clypeos. ----

Hic Criſpinus dicitur portaſſe ancilia *tenero collo*, quoniam in juventute inter hos ſacerdotes coöptatus erat; juvenes enim Salii fiebant, ut cap. IX. dixi. Cum prædictis convenit Lactantius lib. I. de falſ. Relig. cap. 21. *Quid de ſcutis jam vetuſtate putridis dicam? quæ cum portant; Deos ipſos ſe geſtare humeris ſuis arbitrantur.* In gemma vero ſæpius laudata Salii duo tunica induſtrie picta induti capite velato exſtant, qui baculum oblongum humeris geſtant, a quo ſex ancilia loro ſibi invicem alligata dependent, in gemma antiquis literis Etruſcis inſcriptum eſt *Ancilium*; ſed exhibebo ipſam gemmam ex Auguſtini *Gemm. & Sculptur. Antiq.* tom. I. num. 152.



Auguſtinus notat, Salios hos non ſaltare, quemadmodum moris erat, nec percutere ſcuta; ſed quam ob cauſam ſcuta non pulſant, ſilet vir doctus; mea ſententia eſt, gemmam non ipſos *ſacerdotes Salios* at illorum *miniſtros* repræſentare, qui clypeos ſuſpenſos baculo vel conto portant; auctor mihi hujus opinionis eſt Dionyſius Halicarnaſſæus, qui lib. 11. tradit hunc ritum: Πέλτας ὑπηρέτων τινὲς αὐτῶν ἠρτημέ-

μένας ἀπὸ κανυόνων κομίζουσι. *Peltas ministri ipsorum contis suspensas ferunt.*

Cæterum, Salios ancilia loris tenuisse, verisimile est, & huc respexit Iuvenalis sat. 11. ℣. 125.

Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus.----

Quæ verba Lubinus male intellexit de statua, cui intrinsecus lorum annexum erat, quoniam *sacra arcano loro* sunt ancilia.

Cum jam dies festos transegissent, & per omnes Urbis regiones ancilia circumgestassent, in sacrarium Martis ea condebant, hoc peracto epulabantur, & coronas capite detractas in pulvinar Martis conjiciebant. docet hæc solennia insignis Iulii Capitolini locus in vita Antonini, cap. 4. *In Saliatu omen accepit imperii, coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus aliæ aliis locis hæserunt, hujus velut manu capiti Martis aptata est.* ὁ πάνυ Salmasius ad hunc locum annotat, veteres solitos fuisse coronas & omne genus florum in Divorum pulvinaria & statuas

conjicere, quod confirmat Iustini Philosophi verbis in apologet. II. Ὅτι μὴ τὰς αὐτὰς ὑμῖν σέβομεν θεὰς, μηδὲ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς, καὶ κνίσας καὶ ἐν γραφαῖς στέφανος καὶ θυσίας φέρομεν. id est: *Quoniam non colimus eosdem Deos, neque mortuis libationes & suffitus facimus, neque pictis coronis & sacrificiis veneramur.* Hic locus in mendo cubat; Sagittarius in Dissertat. *de Natalit. Martyr.* pag. 124. legit ἐν ῥαφαῖς στέφανος. Quasi Iustinus loqueretur de coronis, a veteribus Christianis ad defunctorum tumulos deferri solitis. At præstantissimus Salmasius recte corrigit ἐν ῥαφαῖς στέφανος pro ἐν γραφαῖς, nam στέφανοι ἐν ῥαφαῖς sunt iidem, qui ῥαπτοὶ στέφανοι *sutiles coronæ*, & procul dubio Iustinus ad Saliorum coronas respexit, quæ *sutiles* fuerunt, testis omni exceptione major est Plinius lib. XXI. Nat. Histor. cap. 3. *Sutiles*, inquit, *Saliorum sacris invenimus & solennes cænis coronas.*

CAPUT XVIII.

Saliorum ſaltatio ubi fiebat: an in armiluſtrio ſaltabant diſquiritur: Alexander Donatus notatur. Saliorum ſaltatio deſcribitur: Saliares inſulæ unde dictæ: Saliſubſuli an Salii appellati: Scaliger & Muretus reprehenſi. Catullus emendatur. Subſiles quales res: Voſſius laudatur.

ANcilibus Saliorum conditis, de illorum ſaltatione agemus, nam ut eleganter ait Lucianus *de ſaltatione*, tom. 1. pag. 793. Ἐπὶ τούτοις δίκαιον μὴ δὲ τ Ρωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν, τῷ πολεμικωτάτῳ τ Θεῶν Ἄρει, οἱ Σάλιοι καλούμενοι, ἱερωσύνης ἧ τοῦτο ὄνομα, ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην. *Præter hæc æquum eſt, ut neque Romanæ ſaltationis oblivi ſcamur, quam Romanorum nobiliſſimi quique, Marti Deorum bellicoſiſſimo, qui Salii vocantur, quod eſt ſacerdotii nomen, graviſſimam & religioſiſſimam exercent.* Sed primum loca, in quibus ſaltabant, indicabimus: Plutarchus in vita Numæ & Livius lib. 1. cap. 20. dicunt, eos *per Urbem* iviſſe cum

cum tripudiis ſolennique ſaltatu, & nullam locorum peculiarium mentionem faciunt; Dionyſius Halicarnaſſæus vero lib. 11. Ant. Rom. quædam loca deſignat, nempe forum, Capitolium, & alia, verba ipſius ſunt: Διὰ τ πόλεως ἄγεσι τὰς χορὰς εἰς τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ πολλὰς ἄλλας ἰδίας τε καὶ δημοσίας τόπας. id eſt: *Per Urbem choreas ducunt uſque in forum & Capitolium, aliaque loca multa tam privata quam publica.* Inter alia Salii quoque ſaltabant in Comitio, quemadmodum Varro lib. IV. de L. L. ſcribit: *Salii a ſaltando, quod facere in comitio in ſacreis quotanneis & ſolent & debent.* Hoc Comitium locus fuit in foro & quaſi pars fori Romani, incipiens a porta Palatii & deſinens apud ædem Divæ Mariæ novæ, ut ait Marlianus lib. 111. *Topograph. Rom.* cap. 20. Cæterum Donatus in *Rom. vet. ac nov.* pag. 710. locis, in quibus Salii ſaltabant, adnumerat Armiluſtrium, de quo Varro lib. v. de L. L. *Armiluſtrium ab eo quod in armiluſtrio armati ſacra faciunt. niſi locus potius dictus ab his. ſed quod de heis prius. Id ab luendo aut*

aut luſtro id eſt quod circumibant ludentes ancilibus armati. Hinc putat Donatus, *Armiluſtrium* dictum, quod Salii illud armati circumirent. Sed Varro non loquitur hic de *Saliis*, ſed *militibus armatis* & *ſaltantibus*, qui XIX. Octobr. feſtum *Armiluſtrium* celebrabant, ut optime animadvertit Nardinus in *Rom. Vet.* pag. 1391. quem ſequitur vir ſtupendæ eruditionis Joannes Georgius Grævius in Præfat. tom. IX. *Theſ. Antiq. Roman.* præfixa, pag. 1. Hi enim milites armati clypeis, haſtis,& pugionibus imaginariam pugnam exercebant, qualem eleganter deſcribit Claudianus de VI. Conſulat. Honorii, ℣. 622.

Armatos hic ſæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſosque recurſus,
Et pulchras errorum artes, jucundaque Martis
Cernimus: inſonuit cum verbere ſigna magiſter,
Mutatos edunt pariter tot pectora motus,

In

In latus alliſis clypeis, aut rurſus in altum
Vibratis: grave parma ſonat, mucronis acutum
Murmur, &, umbonum pulſu modulante reſultans,
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.

Pergo ad Saliorum ſaltationem, quam nobis depingit Seneca epiſt. xv. *Sunt exercitationes & faciles & breves, quæ corpus & ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & cum aliquo pondere manus motæ, &* SALTUS, *vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille, ut (ita dicam)* SALIARIS, *vel (ut contumelioſius dicam) fullonius.* Seneca ſaltum Saliarem eundem facit cum fullonio, hoc eſt, cum eo motu, quo fullones in conciliandis veſtimentis utuntur, qui fiebat ſublatis pedibus & alternantibus, idemtidem repetitis; hinc Plutarchus his verbis ſaltum deſcribit: Κινῆται ἁπτερπῶς ἐλιγμὸς, καὶ μεταβολὰς ἐν ῥυθμῷ τάχους ἔχουσι καὶ πυκνότητα μετὰ ῥώμης καὶ καθότητος ἀποδιδόντες.

τες. Quæ Latine ſic ſe habent: *Movebantur eleganter celeriter atque confertim orbes implicantes & evolventes, multumque in eo roboris & agilitatis oſtendentes.* Porro ſaltus hic ad tibiam peragebatur & per vices, aliquando enim omnes Salii, aliquando quidam ex illis ſaltabant, teſte Dionyſio Halicarnaſſæo lib. 11. Κινῶνται πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, τότε μὲν ὁμοῦ, τοτὲ δ' ἀλλάξ. *Ad tibiam rythmico motu in armis ſeſe motant, nunc ſimul, nunc per vices.* Hujus quoque ſaltationis meminit Venuſinus lyricus lib. 1. oda 36.

Neu morem in Salium ſit requies pedum.

Et lib. 1v. oda 1.

--- pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

Ab hoc ſaltu inſulæ quædam dictæ ſunt *ſaliares*, quoniam *in ſymphoniæ cantu ad ictum modulantium pedum* movebantur, ut auctor eſt Plinius lib. 11. Nat. Hiſt. cap. 95. Et Salii ipſi a Virgilio vocantur *Salii exſultantes*, & a Catullo epigram. 17. *Saliſubſuli*, ſi pro-

proba lectio est in his versibus, quibus poeta alloquitur Coloniam:

Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto.

Scaliger ad hæc: „Omnes ludii & saltatores, qui ad cantum & tibiam in „sacris ludunt, *Salii* & *Salisubsuli* „dicuntur. Verum quidem est, istos ludios dictos fuisse *Salios*, sed *Salisubsulos* non credo. Scaliger ad stabiliendam suam sententiam hunc Pacuvii versiculum adducit:

Pro imperio sic Salisubsulus vestro excubet.

Et cum Mureto vult, Pacuvium in hoc versu appellasse *Salisubsulum* Martem, & proinde ipsius sacerdotes recte a Catullo dici *Salisubsulos*; cum tamen iste versus [teste Isaaco Vossio in notis ad Catullum] nusquam alibi extet, nec Pacuvium sed Muretum auctorem habeat. Legit igitur Vossius Catulli versum hoc modo:

In quo vel Salii subsilis sacra suscipiunto.

Quid

Quid vero ſint *ſubſiles* tradit Feſtus; *Subſiles ſunt*, inquit, *quas aliter ipſiles vocant, lamellæ neceſſariæ ſacris, quæ ad rem divinam conferre dicuntur maxime ſpecie virorum & mulierum.* Idem fere ſcribit in *Ipſullices*. Hinc obſervat eruditiſſimus Voſſius, Salios in ponte Sublicio ſaltantes ſuis ſacris adhibuiſſe iſtiuſmodi bracteas vel lamellas *ſubſiles* dictas, in quibus Deorum heroumque imagines expreſſæ erant, plane quemadmodum apud Athenienſes in Minervæ peplo exſtabant Θεῶν ἐκτυπώματα καὶ δείκηλα.

CAPUT XIX.

In veram etymologiam τῶ Axamenta inquiritur: Gloſſarium tentatur. Axamenta quotuplicia: Gloſſarium illuſtratur. Axamentorum auctor Numa Pompilius: Feſtus corrigitur. Axamenta erant obſcura: iſtius obſcuritatis cauſa indicatur.

A Saliorum ſaltu tranſeo ad ipſorum carmina, quæ tempore feſti canebant, & *axamenta* nominabant, cujus vocis originem primum inveſtigabo. Nobiliſſimus Scaliger in conjectan.

Varron. pag. 121. *assamenta* scribit, & deducit ab *assando*, *assare* est in unum solum hominem poëma condere, talia erant *assamenta Ianualia*, *Iunonia*, *Minervia*, quæ in singulos Deos erant conscripta. Idem vero Scaliger ad Festum & Turnebus lib. XXII. *Adverſ.* cap. 25. volunt, *axamenta* dicta esse ab *axare*, id est *nominare*, Glossæ veteres: *Anaxant*, ἐνομάζουσι, vel legendum *adaxant*, vel simpliciter *axant*. Denique addit doctissimus vir tertiam etymologiam ab *axibus* sive tabulis, in quibus illa carmina describebantur, ut Græci leges suas ἐν τοῖς ἄξοσι. „Quia enim „legitime, inquit ὁ πάνυ, concepta „erant illa carmina, propterea non mi„nus ediscebantur a Saliis, quam a le„guleiis actiones & formulæ juris. Prima etymologia ab *assare* non video unde probari possit, cum carmina Saliaria non in unum solum hominem composita erant, sed in *universos homines*, ut Festus in *Axamenta* scribit. Secundam quod attinet ab *axare*, ea quodammodo admitti potest, quoniam in axamentis nominabantur & celebrabantur nomi-

mina hominum quorundam vel Deorum. Tertia ab *axibus* veriſſima mihi videtur, ob rationes a Scaligero productas, & præterea quoniam ipſe Cicero alibi dicit, carmina Saliaria tanquam legitimas formulas a pueris prætextatis recitari ſolita. Hanc ultimam mecum agnoſcit eruditus Horatii interpres Dacerius ad lib. II. epiſt. I. ℣. 85.

Pergamus jam ad ipſa *axamenta*, quæ Dionyſius Halicarnaſſæus appellat πατρίους τινὰς ὕμνους, *patrios quosdam hymnos*. Horum enim nonnulla in Deorum, nonnulla in hominum laudem compoſita, quæ nominibus diſtinguebantur; quæ vero in homines compoſita erant *axamenta* dicebantur, quæ in Deos ab illorum Deorum nominibus, fundus hujus opinionis eſt Feſtus: *Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quæ a Saliis ſacerdotibus componebantur in univerſos homines. Nam in Deos ſingulos verſus facti, a nominibus eorum appellabantur, ut Ianualii, Iunonii, Minervii.* Hæc carmina Saliaria in gloſſario Cyrilli hoc modo exponuntur. *Axamenta*, στίχοι ἐπὶ θυσίων Ἡρακλέους.

Notandum hic, Gloſſographum ſequi Virgilium, qui Salios Herculi adtribuit, cum proprie Martis ſacerdotes fuerint. Hinc patet, Gloſſographum per *Salios* apud poëtam intellexiſſe ſacerdotes κατ' ἐξοχὴν *Salios* dictos, contra ſententiam aliorum, qui *Salios* in Virgilii loco generali ſignificatione accipiendos eſſe cenſebant pro quibusvis ſaltantibus ſacerdotibus.

Primus horum carminum auctor fuit Numa Pompilius, qui, cum Saliorum collegium inſtituiſſet, carmina illa compoſuit, teſtatur hoc Cicero lib. III. de Orator. cap. 51. *Summa vis carminibus eſt aptior, & cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctiſſimo, majoribusque noſtris, ut epularum ſollennium fides, ac tibiæ, Saliorumque verſus indicant.* Hinc Varro lib. VI. de L. L. regnum Numæ vocat *fontem in carminibus Saliorum*, & ait, carmina illa *habere ſeptingentos annos*, id eſt ante ſeptingentos annos a ſuo tempore numerandos ortum habuiſſe; rotundum vero numerum poſuit, cum ſuo tempore ſeptingenti anni non-

nondum lapſi fuerint a Numæ imperio. Hujus intervalli meminit quoque Romanorum doctiſſimus alio loco, cum ſcribit: *Cur ſcriptoris induſtriam reprehendis, qui herois tritavum atavumque non potuerit reperire, quum ipſe tui tritavi matrem non poſſis dicere. Quod intervallum multo propius nobis, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poëtica dicuntur Latina.* Concluderet forſan aliquis e Feſto, ſacerdotes ipſos poſtea carmina illa compoſuiſſe, cum hæc apud Grammaticum legerit: *Axamenta dicuntur carmina Saliaria, quæ a Saliis ſacerdotibus componebantur.* Sed locus eſt corruptus, ut acute vidit Dacerius, qui pro *componebantur* legit *canebantur.* Quandoquidem non veroſimile eſt, ſi ipſi Salii *axamenta* componerent, illa carmina a ſacerdotibus non fuiſſe intellecta; immo Salii ne quidem poteſtatem habebant ea mutandi, multo minus componendi, teſtis eſt Alexander ab Alexandro lib. 1. *Gen. Dier.* cap. 26. Cæterum carmina hæc tantæ obſcuritatis erant, & tam obſo-

leta ab ætate Numæ vocabula continebant, ut Salii ipſi vix ea intelligerent, quamobrem Quintilianus lib. I. cap. XI. *Saliorum carmina vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta, mutari vetat religio, & conſecratis utendum eſt.* Hinc non ſine ratione Horatius ſciolum quemdam perſtringit, qui putabat, ſe ſolum intelligere Saliorum carmina, lib. I. epiſt. 2. ℣. 85.

Iam Saliare Numæ carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri.

Symmachus etiam, quemdam archaiſmi affectatorem deridens, ait lib. III. epiſt. 44. *Si tibi vetuſtatis tantus eſt amor, pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus Salii canunt, augures avem conſulunt & decemviri tabulas condiderunt.* In hoc loco *verba priſca* ſunt verba ſubobſcura Marti conſecrata, quæ Sidonius Apollinaris *verba Saliaria* appellavit lib. VIII. epiſt. 16. *Unde enim nobis illud loquendi tetricum genus ac perantiquum? Unde illa* VERBA SALIARIA, *vel*

vel Sibyllina, vel Sabinis abusque Curibus accita? quæ magiſtris plerumque reticentibus promptius Fecialis aliquis, aut Flamen, aut veternoſus legalium quæſtionum ænigmatiſta patefecerit? Ad quæ lege, quæ produxit Savaro. Non vero mirum eſt, Salios carmina illa non intellexiſſe, cum fuerint exarata *priſca lingua Latina*, quæ cum rege Numa *Sabinis abusque Curibus accita*, ut Sidonius loquitur, qua incondita lingua vetuſtiſſimi Italiæ populi utebantur, Iſidorus lib. IX. Orig. cap. I. *Priſca lingua eſt, qua vetuſtiſſimi Italiæ ſub Jano & Saturno ſunt uſi incondita, ut ſe habeant* CARMINA SALIORUM. Legi in *Novis Reipublicæ literariæ* de anno 1699. menſe Junio epiſtolam Abbatis *de la Charmoye* ad Abbatem Nicaſium, in qua compendium Operis ſui de *Origine gentium* tradit, & inter alia *pag.* 636. vult, Romanos accepiſſe Saliaria carmina ab Umbris & Sabinis, quæ carmina cum continerent multa vocabula Celtica, proculdubio Romani poſtea quædam Celtica in ſua lingua reſervarunt.

CAPUT XX.

Saliari carmine nomen alicujus canere unde ortum fuit demonſtratur: Mamurii Veturii nomen in illo carmine: Cuperus laudatur. Mania mater Larum, Lucia Volumnia, Ianus, Iupiter Lucetius cantati: Alexander ab Alexandro notatur. Venerem nominare in Saliari carmine non licebat: Auguſtus, Germanicus, Verus Caſar in carmine Saliorum memorati. Dion Caſſius illuſtratur.

Antiquitus religioni habebatur, pæanem in mortalium honorem canere; hinc Ariſtotelis calumnia ipſi prope exitialis orta, nempe quod diceretur pæanem in Hermiam compoſuiſſe. Poſtea vero adulatores talibus hymnis viros principes celebrarunt, quæ res erat quaſi tacita in numerum Deorum relatio. Primus omnium fuit Lyſander, cui παιᾶνες ἤδησαν, teſte Plutarcho in ejus vita. Ab hoc igitur ritu Romæ mos invaluit, ut illuſtrium virorum nomina Saliaribus carminibus canerent; hoc verum eſſe antiquiſſimis exemplis probabo, & primo loco Mamurium Veturium anciliorum fabrum ad-

adducam, qui, volente Feſto in MAMURII, *præmii loco petiit, ut ſuum nomen inter carmina Salii canerent*, quod peractum eſt, nam ipſius nomen frequenter in cantibus Saliaribus recitatum, unde Ovidius cecinit lib. III. Faſtor. ℣. 259.

Quis mihi nunc dicet, quare cæleſtia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant.

& ℣. 389.

Tum ſic Mamurius: merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine noſtra ſonent.
Inde ſacerdotes operi promiſſa vetuſto
Præmia perſolvunt, Mamuriumque canunt.

Ex his doctiſſimus Cuperus lib. IV. *Obſervat.* cap. 2. non inconcinne concludit, carmen Saliare in varias partes fuiſſe diviſum, & eas partes ſingulis diebus cantari ſolitas, non vero uno die totum carmen, atque ita *extremum carmen* apud Ovidium incidet in ulti-

mum feſti diem ſive *Mamuralia*, quo die laudes Mamurii recitabant.

Præter hunc Mamurium Mania mater Larum & Lucia Volumnia his carminibus celebratæ ſunt, indicante Varrone lib. VIII. de L. L. *Videmus Maniam, matrem Larum, & Luciam Volumniam, Saliorum carminibus appellari.* Præterea Salii non ſilebant de Iano, nam Macrobius lib. I. Saturnal. cap. 9. ſcribit: *Saliorum quoque antiquiſſimis carminibus Deorum Deus canitur.* Merula ad fragmenta Ennii pag. 82. legit *Divom Deus*, & putat, Macrobium reſpicere ad carmen hoc Saliare apud Varronem lib. VI. de L. L. *Divum exta cante*, DIVUM DEO *ſupplice* cante. Heic *Deorum Deus* Ianus eſt, quem Salii in carmine *Ianes* pronunciabant, ut obſervat Edmundus Dickinſonus in diatriba *de Noæ in Italiam adventu*, pag. m. 155. immo & *Eanus* audiebat, Tertullianus alibi: *Exceptus à Iano, vel ut Salii volunt*, EANO. Hinc & ipſi Salii dicti *Ianes* vel *Eani*, vide Voſſium lib. IV. *Inſt. Orat.* cap. I. ſect. 7. Referebant quoque in fine carmi-

minum verbis ſubobſcuris Lucetium Iovem, alioſque Deos, excepta Venere, quam in carminibus Saliorum nominare nefas erat: de Lucetio Iove teſtatur Macrobius lib. 11. Saturnal. cap. 15. *Iovem accipiamus lucis auctorem, unde & Lucetium Salii in carmine canunt.* Hunc Alexander ab Alexandro male vocat *Lucretium*, & miror, interpretes hoc non animadvertiſſe. De Venere quod dixi, id confirmat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 12. *Ne in carminibus*, inquit, *Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cæleſtium, laus celebretur.*

Cæterum poſt aliquot ſæcula imperatorum nomina ſuis carminibus Salii adnotarunt, ut illorum memoriam ſempiternæ gloriæ mandarent; unde inter inſolitos honores Auguſto adhuc imperanti a Senatu decretos refert Dio lib. LI. pag. 457. *ut in hymnos juxta Deos immortales adſcriberetur*, ἐς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς Θεοῖς ἐγγεγράφεσθαι. Per *hymnos* in hoc Dionis loco intelligo *hymnos Saliares* ſive *axamenta* cum omnigenæ eruditionis promicando Spanhe-

hemio in *præfat. ad Callimach.* pag. 2. Idem honos Germanico Cæsari defuncto tributus est, Tacitus lib. 11. cap. 83. nam inter alios honores primus erat, *ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.* Attamen non tantum Dii & imperatores, sed & pueri defuncti hoc honore ornabantur, sic Antoninus Philosophus filio Vero septenni defuncto decrevit, *ut Saliari carmini nomen ejus insereretur*, referente Capitolino in ipsius vita, cap. 21.

His omnibus probe perspectis jure cum Casaubono ad Athenæi lib. VI. cap. 14. arbitramur, veterem ecclesiam Christianam hos ritus ad pium usum traduxisse, quando instituebat, ut nomina sanctorum martyrum, Imperatorum, Pontificum summorum, & aliorum fide ac meritis excellentium virorum sacris diptychis inserta inter hymnodias recitarentur.

CAPUT XXI.

Fragmenta carminum Saliarium κατ' ἀλφάβητον producuntur: Percurritur litera A. AGONIA *qualis dies: Macrobius illustratur.* AMPTRUARE. ANTIGERIO: *Gerardi Joannis Vossii & Barthii sententiæ de hac voce.*

DIxi cap. XIX. Saliorum carmina subobscura fuisse, quoniam prisca lingua Latina scripta erant, & idcirco obsoleta vocabula continebant; ut hoc clarius demonstrem, omnia istorum carminum λείψανα collegi, quæ quidem reperiri potui, notas & elucidationes adjeci, in quibus si quid humani passus fui, in causa erat argumenti obscuritas, & non mirum me errasse, cum ipse Ælius Stilo in explanatione horum carminum errorum segetem commisit, & obscura multa præteriit, juxta sententiam Varronis lib. VI. de L. L. Interim eruditos obnixe rogamus, si plura fragmenta alibi apud auctores latent, ut ea nobis non invideant. Incipiamus κατ' ἀλφάβητον; nam in verum ordinem lacera illa fragmenta conjungere, res erit vani laboris.

AGO-

AGONIA.

Varro lib. V. de L. L.

In libris Saliorum, quorum cognomen Agonenſium, forſitan hic dies ideo appellatur potius AGONIA.

NOTÆ.

Qualis dies erat, qui ſecundum Varronem in Saliorum libris AGONIA dicebatur, docent nos præcedentia Varronis verba, quæ hæc ſunt: *Liberalia dicta quod per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libeis & foculo, pro emptore ſacrificantes.* Huc pertinet, quod ſcribit Maſurius Sabinus apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 4. *Liberalium dies a Pontificibus* AGONIUM MARTIALE *appellatur.* Pontifices illi ſunt noſtri Salii, qui in honorem Martis diem denominarunt; ille dies *Liberalia* dictus Baccho quoque ſacer exſtitit, quoniam Bacchus & Mars idem numen erant, teſte Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 19.

AMP-

AMPTRUARE.

Vide quæ notamus ad *Redamptruare.*

ANTIGERIO.

Quintilianus lib. 1. *Inſtit. Orat.* cap. 6.

NOTÆ.

Hoc vocabulum a Quintiliano inter alia multa e Saliorum carminibus producitur, & ex ipſius mente *oppido* ſignificat, ſic enim loquitur lib. VIII. Inſtit. Orat. cap. 3. *Quid neceſſe eſt dicere* oppido, *quo ſunt uſi paulum tempore noſtro ſuperiores? vereor ut jam non ferat quisquam: certe* ANTIGERIO, *cujus eadem ſignificatio eſt, nemo, niſi ambitioſus utetur.* Nec multum abludit Feſtus, cum ait: ANTIGERIO *antiqui pro valde dixerunt.* Et gloſſæ veteres Latinæ. *Antigerio, valde.* Hinc etiam Lubinus in Antiquar. pag. 27. hanc vocem per *valde* explicavit. Magnus vir Gerardus Joannes Voſſius in Etymolog. de hac voce ſic ſcribit: „ ANTIGERIO, *an-*„*tiqui pro* valde *dixerunt:* Gloſſæ „ Iſidori: *Antigerium, quemadmo-*„*dum*

„ *dum, imprimis.* Ubi leg. *Antigerio.* Ex „ eo quod additur, *quemadmodum, im-* „ *primis*, cognoſcitur etymon. Nam „ ut, *imprimis*, quod *in primis* fit: „ ſic *Antigerio*, quod *ante* alia *geritur.* „ Et ſimile quoque eſt *præſertim*, quod „ *præ* aliis *ferítur.* Quare non audiendi „ illi Codd. Feſti MSS. ubi *Anugerio* le- „ gitur. Sic de hujus vocabuli origine etiam Martinius fere differit. Sed nos adſentimur doctiſſimo Barthio, qui Feſti locum e MS. codice Baſileenſi aliter legit, lubet nobis verba ipſius adſcribere e lib. XXXVII. *Adverſar.* cap. 21. „ Scio quid ex gloſſis Latinis „ afferat Scaliger. Ego vero, cum quo- „ modo *antigerio* cum *valde* conveniat „ durius ſit explicatu, non puto peni- „ tus improbandum, quod in ſcripto li- „ bro reperio. ANTIGERIO *antiqui pro* „ VADE *dixerunt.* Ut *antigerius* voce „ ſemi-Græca ſit *vas*, qui contra gerat „ rem, alii gerendam. Sed de hoc in li- „ bro de verbis rejectis, eo enim rela- „ tum a nobis eſt plenius.

CAPUT XXII.

Litera C *percurritur.* CANTE *pro* canite *quomodo dictum: Festus corrigitur. Scaliger laudatur.* CERUS MANUS *quid & unde ortum: Dickinsonus notatur.* CERUSES DUONUS. *Varro explicatur & emendatur sæpius. Gothofredi & Turnebi sententiæ de his vocabulis.* CUME *pro* Cum.

CANTE.

Varro lib. VI. de L. L.

Canite pro quo in Saliari carmine scriptum est CANTE, *hoc versu; Divum exta* [1] CANTE, [2] *Divum Deo* [3] *supplice* CANTE.

NOTÆ.

(1) CANTE] Duplici modo TO CANTE accipi potest, primum, ut sic dictum sit per syncopen & I. pro *Canite*, quemadmodum voluit Varro, & apud alios auctores non raro I de medio vocis tollitur, sic habemus *lamnæ* pro *laminæ* apud Horatium, lib. II. oda 2.

Nullus argento color est, avaris
Abditæ terris inimice lamnæ.

Gloſſarium Cyrilli. *Lamna*, ἔλασμα χρυσίε, ἢ ἄλλης ὕλης. Paulo ante *lamina* vocatur. Et in Plauti comœdiis *mna* pro *mina* ſexcentis fere locis occurrit. Cæterum ſecundo modo τὸ *Cante* heic forſan dictum per eandem figuram pro *Cantate*, hoc confirmare videtur Feſtus, cum ſcribit: *Canta pro Cantata ponebant.* Quid ſi legamus cum Gothofredo & Merula ad Ennii annales, pag. 82. *Cante pro cantate ponebant.* Quæ lectio magis ad rem facit, & a Dacerio probatur.

(2) *Divum Deum.*] Optime hic ſagaciſſimus Scaliger intellexit *Ianum*, quem hoc nomine vocari in carminibus Saliorum cap. xx. demonſtravimus.

(3) *Supplice*] adverbialiter ponitur pro *ſuppliciter*, ut *ſevere*, *blande*, *celere* ἁπλῶ *ſeveriter*, *blanditer*, *celeriter* apud Nonium, pag. mihi 535.

CERUS MANUS.

Feſtus in *matrem Matutam.*

In carmine Saliari [1] CERUS [2] MANUS *intelligitur creator bonus.*

NO-

NOTÆ.

(1) CERUS] antiquè pro *creator*, oritur a *cereo* id eſt *creo*, teſte Varrone lib. v. de L. L. ubi ait: *Cerno a* cereo, *id eſt, a creando, quod cum quid creatum eſt, tunc denique videtur.* Hæc eſt lectio editionis Mediolanenſis anno 1500. excuſæ, noviſſimæ editiones pro *cereo* male habent *creo.* Porro CERUS MANUS in Saliari carmine male explicatur *ſanctus, bonus,* a Dickinſono in diatrib. *de Noæ in Italiam adventu*, pag. 160. id quoque velle videtur Scaliger ad Feſtum in *Cæremoniarum*, quando ſcribit: „*Ce-*„*rus* veteri lingua *Sanctus*, a quo *Cere-*„*monia.* Myſticum erat nomen Iani *Ce-*„*rus manus* in carmine Saliari. Quam-„vis & *Creator bonus* exponatur a qui-„buſdam veteribus. Hanc ultimam ſignificationem τῦ *Cerus* etiam amplexus eſt magnus Dacerius ad illum locum.

(2) MANUS] Varro lib. v. de L. L. *Bonum antiqui dicebant manum.* Feſtus Pompeius in MANARE. *Dictum mane putant ab eo, quod* MANUM *bonum dicebant.* Si plura exempla requiras, adi

eruditiſſimum Franciſcum Sanctium in Minerva ſua, *pag.* 609.

CERUSES DUONUS.

Varro lib. VI. de L. L.

OMINA VERO ADPATULA COEMISSE IAM CUSIATII MUSES RUSE DUMQUE IANUS VENET.

NOTÆ.

Hic locus omnium fere in Varrone corruptiſſimus eſt, ideoque eruditos deterreret ab emendatione, cum oleam & operam ſe perdere putarent. Divinus vero Scaliger hunc locum tentavit, & legit. *Ennio vero ac Pacuvio, miſeſia, incuſia, meſidie, oneſe, rudeſumque, veneſe.* Hanc conjecturam ipſe magnus heros poſtea frivolam appellat, cum e veſtigiis libri antiqui veram, uti putat, lectionem eruit, quæ talis exſtat in appendice conjectan. ad Varron. lib. de L. L. *pag.* 188.

- - - - - - - [1] OMNIA
[2] DAPATILIA [3] COMISSE IANI
[4] CUSIONES
[5] DUONUS [6] CERUSES [7] DIVIUS IANUSQUE VENIT.

Pu-

Putat Scaliger, duos verſus Saturnios eſſe, quo genere, inquit, conſcriptum fuit carmen Saliare, unde & *carmen Saturnium* a Feſto in *Navali corona* vocatur, ex Scaligeri ſententia, nam ante Ennii tempora nullum aliud genus carminis tractarunt Romani.

(1) OMNIA] illa vox *Omnia* in primo verſu non eſt ipſius verſus, fortaſſe eſt præcedentis. Hæc SCALIGER.

(2) DAPATILIA] ſignificat omnia opipara, oritur enim a *daps*, hinc *dapſilis* & *dapalis*, unde *dapatilis*.

(3) COMISSE] eſt *comediſſe*, ab eo quod *comeſt*, non *comedit* dicebant. *Comiſſe* igitur quod poſtea *comeſſe*, neque aliter invenitur apud Plautum. SCALIGER.

(4) CUSIONES] ſunt *Curiones*, nempe ii qui curialia ſacra faciebant. Hic vero etiam pro miniſtris ſacrificiorum, ut ſæpe. SCALIGER. Cæterum idem vir magnus ad Feſtum in *Curiales* per *Cuſiones* intelligit *calatores*, cum ait: „ *Calatores* ipſos antiquitus vocabant „ *Curiones*, ut in carmine Salia„ ri:

- - - - - - - *omnia*

Dapatilia comiſſe Iani Cuſiones.

„Hoc eſt *Calatores* vel *præcones ſa-*
„*crorum.* Illi, ut dixi, erant ſervilis
„conditionis. Hæc ibi SCALIGER.

(5) DUONUS] eſt *bonus*, Feſtus, *Duonum*, *bonum.* & gloſſæ lat. gr. *Duonus*, ἀγαθός, DU enim poſtea mutatum eſt in B; ſic *Duellum* in *Bellum*, *Duiga* in *Biga.*

(6) CERUSES] eſt priſca lingua *creator.* Nam *Cerus* in carmine Saliari erat *creator*, quod alibi notamus, ut a *gnarus* factum *gnarures*, ita a *Cerus* factum *cerures*, quod veteres dicebant per S. *Ceruſes.* SCALIGER. Notandum autem S pro R a veteribus poni, & quidem frequenter in carmine Saliari, Varro lib. VI. de L. L. *In multeis verbeis, in quo antiqui dicebant* S, *poſtea dicunt* R, *ut in carmine Saliorum ſunt hæc, Coſauli, Doloſi, Eſo.* Et deinde. *Poſt melios, melior: fædeſum, fœderum: pluſima, plurima: aſena arena: Ianitos, Ianitor.*

(7) DIVIUS] *Divius* & *Divianus* qui poſtea *Ianus*, ut *Divia* & *Diviana*, quæ

quæ poſtea *Iana* & *Diana*, auctore etiam eodem Varrone. SCALIGER.

Vidimus Scaligeri ſententiam de hoc loco, & idcirco non abs re erit, ſi depromo, quæ Dionyſius Gothofredus ad hoc carmen ſcripſit, quæ ſic ſe habent: „Tentabo ut potero hunc locum reſti„tuere, verbis Varronis paulo altius „repetitis, ad pleniorem intellectum, „ad hunc itaque modum reſtituo. *Vt in „multis verbis antiquis dicebant*, S. „*poſtea dicunt* R. *ut in carmine Saliorum „ſunt hæc. Coſauli, Doloſi, Eſo, oſna„menta, arboſem, quæſere. item Cu„ſiatii, Muſes, Ruſe, itemque laſes, „feſtæ* & cæt. pro *Corauli, dolori, ero, „ornamenta, arborem, quærere, Cu„riatii, mures, rure, lares, feriæ.* „Rem ita eſſe deprehendet lector ex„acta collatione, Feſti, Varronis, ac „veterum adhibita. An hæc ingenioſa ſint doctioribus judicandum relinquo, dum interim ad Turnebi emendationem pergo, ſcribit vir doctus lib. XXIII. *Adverſar.* cap. 15. hunc in modum: „Lego: *Coſculo doloſi eſo. Omnia ve„ro ad epulum coëmiſſe jam Cuſiones:*

„*Duonus e ruſe Divius Ianuſque ve-*
„*nit.* Ne quem fallam, aut circumve-
„niam pro *ad patula*, ſcripſi *epulum*,
„ne quis quantum juris mihi ſumſerim
„ignoret: alii ſane quam ingenioſe le-
„gunt *omnia ad patula.* Sed quod in-
„terpretari commode non poſſim: legi
„tamen aliquando *in templis captata*
„*omina*, ut etiam fortaſſe ſub dio capta-
„rentur. Verbum tamen *coëmiſſe* non
„convenit ſenſui. In libro antiquo re-
„perio: *omnia ad patula:* & *duones*
„*ceruſes. Cuſiones* ſunt Curiones, *ru-*
„*ſe*, rure. *Duonus* autem *Divius* &
„*Ianus* videri poſſunt vocabula Curio-
„num: quod tamen in re tam priſca &
„obliterata affirmare non auſim.

Hæ ſunt ſententiæ eruditorum de corrupto Saliari carmine; quis vero illorum optimus fuerit Apollo, non noſtrum eſt decernere, ideoque verbum non amplius addo.

CUME & cæt.

Terentius Scaurus *de Orthograph.* pag. 2261.

Antiqui pro adverbio quom CUME *di-*

dicebant, ut Numa in Saliari carmine: [1] CUME PONAS LEUCESIAE PRAETEXERE MONTI [2] QUOTIBET CUNEI DE HIS CUM TONAREM.

NOTÆ.

(1) CUME] ſic veteres dicebant *quare*, pro quo poſtea omiſſo *e* uſurparunt *quor*, unde recentiorum *cur*, quemadmodum CUME & deinde *cum* abſque E.

(2) QUOTIBET] Dauſquius in *Orthograph. Lat. Serm.* tom. 11. pag. 100. legit QUOTLIBET, & carmen hoc modo diſponit. An recte dubito.

CUME. PONAS. LEUCESIAE.
PRAETEXERE. MONTI. QUOTLIBET.
CUNEI. DE. HIS. CUM. TONAREM.

De cæteris non habeo, quæ dicam, cum verba illa corrupta non uno loco mihi videntur, nullum enim ſenſum ex iſtis elicere potui, ideoque nec conjecturis indulgere volui, ſed carmen hoc caſtigandum relinquo illis,

Queis meliora luto finxit præcordia Titan.

CAPUT XXIII.

Percurritur litera E. EXANCLARE. *In litera* I. INSICIA: *etymon ejus vocis. In litera* L. LUCETIUS. *Gloſſæ emendantur. Iovis antiquus nominativus. Percurritur* M. MAMURIUS VETURIUS *quid?* MANUI. MOLUCRUM: *ejus vocis variæ ſignificationes. Ælius Stilo quis. Varro corrigitur.*

EXANCLARE.

Quintilianus lib. 1. *Inſtit. Orator.* cap. 6.

NOTÆ.

Hoc vocabulum e Saliaribus carminibus citat Quintilianus, ſignificationem vero non addit; at Feſtus eam docet. *Exanclare*, *exhaurire*. cum hoc convenit Nonius, & gloſſarium vetus. *Exanclat*, ἄρυεται. Si originem ſpectemus, legendum erit *exantlare*, oritur enim ab hauſtris, quæ Græcis ἄντλια dicuntur.

INSICIA.

Varro lib. IV. de L. L.

1 INSICIA, *ab eo quod inſecta caro, ut*


image
not
available

unde & (1) LUCETIUM Salii in carmine canunt.

NOTÆ.

(1) LUCETIUM a *luce* appellatum esse auctor quoque est Festus. Glossæ Lat. Gr. Cyrilli. *Lucerius*, Ζεὺς. sed puto, rectius esse τὸ *Lucetius*, quoniam sic a Festo, Gellio, Lactantio, Macrobio, aliisque nominatur. Accedit, quod ipsa Iuno appelletur *Lucetia* apud Martianum Capellam lib. II. *de Nupt. Philol.* cap. 5. Porro Iupiter *Lucetius* alio nomine *Diespiter* dicitur, quasi diei pater; hinc glossæ Philoxeni. Ζεὺς, *Iupiter*, *Lucerius*, *Diespiter*, *Iovis*. Notandum, τὸ *Iovis* heic esse antiquum nominativum, ut in nummo apud Oudanium in *Rom. Magnit.* tab. XXXVIII. num. 9. cujus ἐπιγραφὴ est IOVIS CVSTOS.

MAMURIUS VETURIUS.

Varro lib. v. de L. L.

Salii qui cantant MAMURIUM VETURIUM *significant veterem memoriam.*

NO-

NOTÆ.

Consentit cum Varrone hac in re Plutarchus; alii hæc verba pro nomine proprio fabri anciliorum accipiunt, quemadmodum cap. xx. demonstravi, & id melius cum historia convenit.

MANUI.

Festus in *Manuos.*

1 MANUOS *in carminibus Saliaribus Ælius Stilo significare ait bonos.*

NOTÆ.

(1) MANUOS] Vide quæ supra notavimus in *Cerus manus*, hinc & Dii *manes* pro bonis dicuntur a suppliciter eos venerantibus propter metum mortis, & *immanes* pro valde non bonis dicuntur, secundum Festum. Cæterum in Festi fragmento e bibliotheca Farnesiana male scribitur *carminibus sæcularibus*, pro *Saliaribus.*

MOLUCRUM.

Festus in *Molucrum.*

1 MOLUCRUM 2 *Ælius in explanatione*

ne carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur.

NOTÆ.

(1) MOLUCRUM] varia significat. Primum *scopas molarias*, ut Festus testatur, cujus verba ex emendatione Salmasii hæc sunt. *Molucrum dicitur, quo molæ verruntur, quod Græci μυλήκορον vocant.* Græcum hoc Pollux in Onomast. a μύλη *mola* & κορεῖν *verrere* derivat. Præterea τὸ *molucrum* significat *tumorem ventris*, qui virginibus solet evenire, quod Festus his Afranii versibus probat:

- - - - - - - - - *ferme virgini*
Excrescit uterus, tanquam gravidæ mulieri.
MOLUCRUM *vocatur, transit sine doloribus.*

Denique Cloatius ait, *molucrum* esse *lignum quoddam quadratum, ubi immolatur.* Lege cum Scaligero *molatur*, quam lectionem Ælii Stilonis verba a me producta confirmant, nam *molucrum*, inquit, est id, *quod sub mola supponatur.*

(2) Æ-

(2) ÆLIUS] prænomen ipſius erat *Lucius*, at duplex cognomen habuit, nam & *Præconinus*, quia pater ejus præco fuerat, & *Stilo* cognominabatur, eo quod orationes nobiliſſimo cuique ſcriberet. Magiſter Varronis & ſeculi ſui eruditiſſimus, ſcripſit hic Lucius Ælius Præconinus vel Stilo *explanationem carminum Saliarium* juxta Feſtum, quem librum Varro laudat lib. VI. de L. L. *Licet multum legerent C. Aelii hominis imprimeis in littereis Latineis exercitati interpretationem carminum Saliorum. Videbis & exili litera expeditam & præterita obſcura multa.* In Varrone tribus locis habetur *C. Aelius*, corrupte pro *L. Aelius*, quo prænomine ab aliis auctoribus appellatur. Præterea ſcripſit *commentarium de proloquiis*, cujus meminit Aulus Gellius lib. XVI. Noct. Attic. cap. 8.

CAPUT XXIV.

Percurritur litera P. PA *&* Po *quid.* PENNATÆ ET IMPENNATÆ AGNÆ. *Nonnus explicatur.* PESCIA: *ejus vocis etymon.* PILUMNOE POPLOE *quare dicti Romani. Romulus Pilumnus.* PRÆCEPTAT. PROMENERVAT. *Fruterius laudatur.* PROSAPIA ἐνικῶς. *Gloſſæ notantur.*

PA & PO.

Feſtus in PA.

PA, *pro parte*, & Po, *pro populo poſitum eſt in Saliari carmine.*

NOTÆ.

De hoc fragmento non habeo, quæ dicam, cumque ſatis clarum ſit, pergo ad alia.

PENNATÆ & IMPENNATÆ AGNÆ.

Feſtus in *Pennatas.*

PENNATAS IMPENNATASQUE AGNAS *in Saliari carmine ſpicas ſignificat cum ariſtis; & alias ſine ariſtis agnas novas volunt intelligi.*

NO-

NOTÆ.

Idem tradit Alexander Neapolitanus lib. I. *Gen. Dier.* cap. 26. & ad rem maxime facit, quod obſervavit hic magnus Scaliger, nempe Theophraſtum in lib. de plantis ſcribere, teneriores ſpicas a ruſticis ἄρνας, *agnas*, vocari. Locus eſt in lib. VIII. cap. 7. Καὶ οἱ στάχυες μικροὶ, καὶ τέτους ὡς καλοῦσιν ἄρνας. Chriſtianus Daumius in epiſt. ad Reineſium, pag. 92. obſervat hoc carmen apud Nonnum *Paraphr. in Joann.* cap. XV. ℣. 6.

Εἰ ὔ τις ἡμετέροισιν ἐν ΑΡΝΕΣΙ μηκέτι μίμνων
Ἀμπελόεν μίμημα χυτῇ χθονὶ βάλλεται ἐξω.

Si vero quis noſtros inter AGNOS *non manens*
Vitis inſtar in terram ejicitur extra.

In hoc verſu, putat Daumius, illud ἄρνεσι ſignificare non *agnos* proprie dictos, ſed *ſpicas teneriores*, ut apud Theophraſtum & Feſtum, & proinde errare Ioannem Hartungum *Dec.* II. *cap.* 2. §. 12. &

Nicolaum Abrahamium in *not. ad Nonnum*, pag. 68. qui emendant ἐν ἔρνεσι, *in ramis* aut *germinibus*, & hanc lectionem adoptavit Nansius. At Lucas Fruterius lib. 1. *Verisimil.* cap. 8. magistri sui Ioannis Aurati sententiam depromit, qui volebat, *Agnas* istas Saliorum a Græcorum fontibus accersendas; ἄχνη enim apud illos *Acus* sunt & *paleæ*, minutissimum illud, quod excutitur in tritura.

PESCIA.

Festus in *Pescia.*

1 PESCIA, *in Saliari carmine Ælius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Græci vocent pelles* πέσκη, *neutro genere pluraliter.*

NOTÆ.

(1) PESCIA] fons hujus vocis est verbum πέκω *tondeo*, a quo πέκω & inserto Σ, πέσκω vel πέσκον, *vellus, pellis tondenda.* Hesychius. Πέσκον, ἢ κώδιον, ἢ δέρμα. & Phavorinus. Πέσκον, τὸ πέκω, κώδιον, δέρμα.

PI-

PILUMNOE POPLOE.

Festus in *Pilumnæ.*

PILUMNOE POPLOE, *in carmine Saliari, Romani, velut pilis uti assueti: vel quia præcipue pellant hostes.*

NOTÆ.

(1) PILUMNOE POPLOE] Observandum est, OE. loco I. poni. Quod sæpe fit, & quidem maxime in nominativis pluralibus Græcæ terminationis. Sic legimus apud Festum. DEMOE *apud Atticos sunt, ut apud nos pagi.* Similiter OLOE pro *Oli* & hoc pro *Illi* in lege Regia. SEI. PARENTES. PVER. VERBERIT. AST. OLOE. PLORASIT. PVER. DEIVEIS. PARENTVM. SACER. ESTO. Si igitur Romani dicti fuerint *Pilumni populi*, quia *pilis* in bello pugnabant, jure meritoque poterant quoque appellari *Pilani* populi, quoniam Festus alicubi scribit. *Pilani, pilis pugnantes.* Pareus vero in *Elect. Plautin.* pag. 215. in diversam sententiam abit, & e Meursii Animad. Miscell. tradit, „ *Pilumnum* „ quidem Romulum esse, ex Saliorum „ carminibus cognosci potest: quibus

„ *Pilumni populi* appellantur Romani: „ non quod *pilis* uti aſſueti, ut vult „ Feſtus (nam ſic omnes Pileni *Pilumni* „ dicendi eſſent) nec quia præcipue „ *pellant* hoſtes (tum enim *Pellumni* „ nuncupari debebant) ſed tamquam „ Romuli nepotes. Nam *Pilumnæ* ibi „ ſecundus caſus eſt, numeri ſingularis, „ non primus pluralis: ut ille exiſtimavit.

„ Eſt vero *Pilumnus* idem cum Romulo Quirino. Ut enim Sabini ſua „ lingua a Quiri Quirinum: ita Salii „ obſcuritatis ſtudioſiſſimi, vocumque „ ignotarum uſurpatores & formatores „ Latina a pilo *Pilumnum* indigetabant.

PRAECEPTAT.

Feſtus in *Præceptat*.

1 PRAECEPTAT, *in Saliari carmine, ſæpe præcipit.*

NOTÆ.

(1) PRAECEPTAT] a *Præcepto:* quod vero ſignificat *ſæpe præcipit* inde eſt, quia *Præcepto* verbum frequentativum eſt, ut Grammatici loquuntur, de quibus

bus Priſcianus lib. VIII. de art. grammat. pag. 825. *Eſt alia ſpecies derivatorum in* TO, *quæ frequentiam actus ſignificant.* Paulus qui Feſtum in epitomen coëgit: *Præceptat, ſæpe præcipit.*

PROMENERVAT.

Feſtus in *Promenervat.*

1 PROMENERVAT, *item pro monet (in Saliari carmine.)*

NOTÆ.

(1) PROMENERVAT] de hac voce Lucas Fruterius lib. 1. *Veriſimil.* cap. 16. ſequentia ſcribit: „*Promenervat* quid „originis habeat, poſſum cum Feſto „intelligere. Nam ille alio loco, *Mi-*„*nervam a bene monendo* dictam ſcri-„bit. Hoc illud eſt, quod in Saliari „carmine *promenervat* pro *monet* acci-„pi debere ait Feſtus. Ac ſane *Mener-*„*vam* veteres dixiſſe non dubito, ut „*Deana.* Optime mehercule! Cæterum verba *in Saliari carmine* deſunt in Bibliothecæ Farneſianæ fragmento.

PROSAPIA.

Quintilianus lib. 1. *Inſtit. Orat.* cap. 6.

NOTÆ.

Fuit & hoc, teſte Quintiliano, inter Saliaria; uſus tamen illo eſt Tullius, ſed *vetus verbum* appellat, quoniam in carminibus Saliorum occurrebat. Feſtus *Proſapiam* explicat *progeniem*, & conſentiunt Gloſſæ: *Proſapia* ἐκ προγόνων εὐγένεια καὶ συγγένεια. Errat gloſſographus Cyrillus, quando poſtea dicit: *Proſapia, ſingulariter tantum declinatur.* εὐγένεια, γένος. Cato enim apud Nonium in *proſapies* in plurali numero utitur, dum lib. 1. Orig. ait: *Veteres proſapias, & multa alia apud multos.* Præterea hanc vocem uſurpat Apulejus lib. x. Metamorph. *Ut ejus proſapia atque dignitas poſtulabat.*

CAPUT XXV.

In litera R. REDAMPTRUARE: *ejus vocabuli etymologia. Nonius corrigitur. Litera* S *percurritur.* SATURNUS: *unde dictus.* SESOPIA *quid?* S. *pro* R. *Varro ſæpius tentatur.* SONIVIUS. *Tripudium ſonivium.*

REDAMPTRUARE.

Feſtus in *Redamptruare.*

REDAMPTRUARE *dicitur in Saliorum exultationibus, cum* [1] *præſul* AMPTRUAVIT, *quod eſt, motus edidit, & referuntur invicem iidem motus. Lucilius.*

[2] *Præſul ut* AMPTRUAT, *inde & volgu'* REDAMPTRUAT *olli.*

Pacuvius, promerendæ gratiæ.

Simul cum videam Graios nihil mediocriter

[3] REDAMPTRUARE, *opibusque ſummis perſequi.*

NOTÆ.

Adſcripſimus verba ex Scaligeri emendatione, qui locum priſtinæ ſanitati reſtituit.

(1) PRÆSUL] vide de illo quæ diximus cap. VIII.

(2) PRÆSUL UT AMPTRUAT. & cæt.] hic Lucilii verſus varie a variis tentatur. Scaliger ad Varronem, *pag.* 55. legit:

Præſul ut amburvat, ſic volgu redandruat inde.

Poſtea vero ad Feſtum, *pag.* 162. conjecturam prætulit, quam dedimus, illamque recepit etiam Douza in Lucilii fragmentis, *pag.* 48. Paulus Merula ad Ennium, *pag.* 266. ſic corrigit:

Præſul ut amtruet hinc, ut Vulgu redamptruet inde.

(3) REDAMPTRUARE] oritur ab *Antruare*, & hoc a *truare* id eſt κινεῖν, *movere*, cum illud, quod in olla coquitur, movetur *trua*. *Amptruare* itaque eſt *circumvolvere*, *circummovere*, & hinc *redamptruare* eſt *rurſus circummovere*, quod Salii faciebant, quando præſuli ſaltando reſpondebant. Nonius Marcellus *Redamptruare* exponit *redire*, ſed ſine dubio legendum cum doctiſſimo Merula *reſilire*, quod

quod optime cum *redamptruare* convenit. Ex hac mendosa Nonii lectione ortus est error istius hominis, cujus epistolam produxit Vorstius in lib. *de Latin. mer. suspect.* pag. 5. ubi *redandruare* pro *redire* utitur. Porro *amptruare* dicitur pro *antruare*, ut *temptare* pro *tentare*, *sumptus* pro *sumtus*. Hinc igitur discimus, Saliorum præsulem saltando præiviſſe, aliosque sacerdotes eosdem motus feciſſe, sive, ut proprio vocabulo utar, *redamptruasse*.

SATURNUS.

Festus in *Saturnus*.

Qui Deus in Saliaribus [1] SATURNUS *nominatur, videlicet a sationibus.*

NOTÆ.

(1) SATURNUS] vocabulum hoc corruptum esse nullus dubito, quoniam si eo modo Salii hunc Deum nominassent, a vulgari loquendi consuetudine non aberraverant; alia vero lectio SATIRNUS mihi quoque non placet, etsi satis proba esse possit, nam sæpe I pro V a veteribus ponitur, ut in antiquis inscriptio-

nibus habemus MANIBIIS, CONTIBERNALIS, RECIPERATIS, pro *Manubiis*, *contubernalis*, *recuperatis*. At sequimur nos Lipsium, qui lib. I. *Saturnal.* cap. 2. Festi verba sic corrigit: *Hic Deus in Saliaribus* SATUNNUS *nominatur, videlicet a sationibus.* Ut enim a *portu* Portunus, a *nuptu*, Neptunus, sic a *satu*, Satunus, ut Salii hoc nomen indigetabant, alio proinde modo quam vulgus. In etymo nobiscum consentit Varro lib. IV. de L. L. At in diversas partes abeunt Scaliger in conjectan. Varron. & Franciscus Iunius in notis ad Tertullianum de spectac. cap. 8. qui τὸ *Saturnus* deducunt ab Hebræo sive Syriaco סחר *celare, abscondere se, latere.* Quoniam Saturnus cœlo profugus in Latio latuit, unde & regio *Latium* dicta, & ipse aliquando *Deus Latius.*

SESOPIA.

Festus in *Sesopia.*

1 SESOPIA *in Augurali & Saliari carmine appellantur, quæ alias Esopia pro*

pro ſedilibus dicere habemus nunc adhuc in conſuetudine.

NOTÆ.

(1) SESOPIA] Videmus heic in Saliari carmine *Seſopia* dici quæ vulgo *eſopia*, id eſt *ſedilia* juxta Feſtum; S ergo voci in fronte apponitur, quemadmodum ſæpe fit, ut in *tritavus*, *ſtritavus*, *cælum*, *ſcælum*, plura exempla congeſſit Popma de *Uſu antiq. locut.* cap. 4. Hoc vocabulum in Plauto invenit Meurſius, quando ſequentem verſum in Truculent. Act. II. Sc. 8. tali modo legit:

Quo pacto excludis quæſo ESOPIIS *plenius.*

De origine res incerta. Martinius ab ἐς & ὀπὴ *foramen;* ut ſit vacuum foramen, ſeu locus ad ſedendum, aut a ſeſſionis ope.

S pro R.

Varro lib. VI. de L. L.

In multeis verbeis, in quo antiqui dicebant I S, *poſtea dicunt* R. *ut in carmine*

mine Saliorum sunt hæc, [2] COSAULI, DOLOSI, ESO.

NOTÆ.

(1) S pro R antiquitus in usu erat, testis est Quintilianus lib. 1. cap. 4. *Valesii*, inquit, *& Fusii, in Valerios Furiosque venerunt. Ita arbos, labos, vapos etiam & clamos ac lases ætatis fuerunt.* Idem tradit Pomponius in *l.* 2. §. 36. D. *de origine Iur.* Sic *dossum* antique pro *dorsum*, & hinc *jumenta dossuaria* apud Varronem lib. 11. de R. R. cap. 10. Immo & *Mascellus Mascellinus* in monumento sequenti pag. CXI. num. 2. thesauri Gruteriani.

GENIO. NORI
CORVM
MASCELLVS
MASCELLINVS
ET
SECVNDINIVS
VIBIANVS
V. S. L. L. M.

(2) COSAULI, DOLOSI, ESO] hæc variis modis tentantur. Scaliger conjicit

cit *Cæſuli* pro *Cæruli*, vel *Coſaullæ* pro *corollæ*, ut *aula*, *olla*. In vetuſto Pauli Merulæ codice legebatur, ORCULO, DOLOSI, ESO, pro *oſculo*, *dolori*, *ero*. Turnebus lib. XXIII. *Adverſ.* cap. 15. emendat. *Coſculo*, *doloſi*, *eſo*. Sed transeamus hæc dumeta & properemus ad alia.

SONIVIUS.

Feſtus in *sonivio*.

[1] SONIVIO *ſignificat in carmine Saliari & augurali ſonanti.*

NOTÆ.

(1) SONIVIO] Servius ad Æneid. III. ℣. 90. ſcribit *Sonubium*, & a *ſono* dictum ait; hinc *tripudium ſonivium*, quod *ſonet*, Feſtus ex edit. Santandreana: *Sonivium tripudium, ut ait Aſipius Pulcher, quod ſonet, cum pullo excidit puls, quadrupedive ex ore.* Pro *Aſipius* ex aliis edit. lego *Appius*, nam in *Soliſtimum tripudium* Feſtus mentionem facit Appii Pulchri, & quædam ex ipſius libris *de augurali diſciplina* profert, in quibus hæc de *Sonivio tripudio*

pudio procul dubio ſcripta fuerunt, quoniam ad auguralem diſciplinam pertinebant.

CAPUT XXVI.

Litera T *percurritur.* TAME *pro Tam. Perizonius laudatur.* TINTINNARE. *Nigidii fragmentum illuſtratur & emendatur. Tintinnire.* TOPPER *quid?* Z *in Saliari carmine. Iſidorus notatur. Anna Fabra laudatur.*

TAME.

Feſtus in *Tame.*

TAME *in carmine* [1 *Saliari*] *poſitum eſt pro tam.*

NOTÆ.

(1) Præſtantiſſimus Scaliger optime vidit, deeſſe heic τὸ *Saliari*, cujus auctoritate illud etiam adjecimus. Sicut enim CUME pro *cum*, de quo antea egimus, ſic TAME pro *tam* in Saliari carmine, ut etiam monuit vir varia eruditione celeberrimus Iacobus Perizonius, quo duce & auſpice hiſce ſtudiis operam dediſſe me, glorior, in Addend. ad Sanctii Mi-

Minerv. *pag.* 50. Lipſius *Epiſtol. Quæſt.* lib. III. *epiſt.* 20. pro TAME legit TAMDE, & dictum putat eo exemplo, quo *Quamde* apud Lucretium aliosque.

TINTINNARE.

Nonius Marcellus in *Tintinnire.*

Nigidius tib. XVIII. *Itaque ex ære in* [1] *Saliaribus* [2] *Altanus* [3] TINTINNAT.

NOTÆ.

Hoc Nigidii fragmentum deſumptum eſſe e libris ipſius de Diis, conjicit Rutgerſius lib. III. *Var. Lect.* cap. 16. quod & mihi arridet.

(1) *In Saliaribus*] ſubintellige *carminibus*, vel, quod forſan verius, *ſaltationibus*. Ita ut Nigidius dicat, Altanum in Saliaribus ſaltationibus pulſare ancile æreum, & proinde *Tintinnare*, id eſt ſonitum excitare, vel, ut cum auguribus loquar, *verberare anciliorum ærimen*; vid. Feſtum in *Rumentum*, & ibi Scaligerum.

(2) *Altanus*] Rutgerſius *Altunus* habet, Lipſius vero lib. v. *Antiq. Lect.* cap.

cap. 14. repoſuit *Albanus*, & intelligit montem Albanum, quem Nigidius ait reſonare ex crepitu æris in Saliaribus. Quid ſi per τὸ *Albanus* intelligamus *Salium Albanum*, de quibus Saliis Albanis cap. VII. diſſerui. Ita ut Nigidius dicat, Salium illum *Albanum ex ære tintinnare*, hoc eſt, æreo clypeolo ſonitum dare. Iudicent peritiores in his obſcuris.

(3) TINTINNAT.] Neſcio quid Nonium moverit, ut in voce *Tintinnire* hunc Nigidii locum citaret, cum in illo τὸ *Tintinnare* occurrit, quæ lectio proba eſt; Nonius procul dubio legit TINTINNIT, cujus vocis exemplum ex Afranio profert, ubi τὸ *Tintinnare* reſtituendum. Cæterum Nonius τὸ *Tintinnat* explicat per *ſonat*; dicitur proprie de ſonitu tintinnabulorum, ut Feſtus in *Tintinnare* oſtendit; hinc Gloſſæ vetuſtæ. *Tinnitus*, ἦχος ἐπὶ χαλκῶν καὶ σιδήρων. Et ad alia transfertur & quidem ad auditum a Catullo epigram. 52. -- *ſonitu ſuopte Tintinant aures.*

TOP-

TOPPER.

Quintilianus lib. 1. *Inſt. Orat.* cap. 6.

NOTÆ.

Refertur hoc vocabulum inter Saliaria verba a Quintiliano; Feſtus *Topper* explicat per *cito*, *fortaſſe*, *celeriter*, *temere*, plurimisque auctorum locis id probat, quæ videre operæ pretium erit.

Z.

Velius Longus in *Orthograph.* pag. 2217.

Mihi videtur nec aliena ſermoni fuiſſe [z nempe] *cum inveniatur in carmine Saliari, & eſſe aliud Z, aliud ſigma, ϛ, nec eandem poteſtatem, nec eundem ſonum eſſe, ſi ſecundum diverſas dialectos id eſt linguas enuncietur.*

NOTÆ.

Si verum eſt, Z in Saliari carmine extitiſſe, falſus eſt Iſidorus, quando lib. 1. Orig. cap. 4. ſcribit: *A Græcis*

duas literas mutavit Latinitas Y & Z. *propter nomina Græca. Et hæ apud Romanos uſque ad Auguſti tempus non ſcribebantur, ſed pro* Z SS *ponebant, ut hilariſſat.* Sic quoque *pytiſſare* duobus SS apud Terentium in Heautont. reperitur, ubi Faërnus notat in Bembino codice modo unum S extare, malè; cum Græcis ſcribatur per Z *pytizo*, ut ad Terentium obſervat Anna doctiſſima. Sic veteres Latini ſcribebant *crotaliſſo*, *malaciſſo*, pro quibus poſtea adoptato z. dicebant *crotalizo*, *malacizo*, Caſſiodorus de Orthograph. pag. 2286. Z. *in antiquis libris modo ſcripta eſt, modo non: ſed pro illa duæ SS, ponebantur, ut Crotalizo, crotaliſſo, Malacizo, malaciſſo, & his ſimilia.*

CAPUT XXVII.

Cœna Saliares: Suetonius illuſtratur: Feſtus explicatur & tentatur: Saliares cœnæ pro opiparis: Convivia inauguralia Saliorum.

Abſoluto fere hoc libro tempus eſt, ut cum Saliis genio indulgeamus; illi

illi etenim, poſtquam per totam urbem ancilia circumtulerant, & ad Martis ſacrarium redierant, cænam parabant, ut largiter epularentur in Martis æde; Suetonius de Claudio cap. 33. narrat: *Cogноſcens quondam in Auguſti foro, ictuſque nidore* PRANDII, *quod in proxima Martis æde* SALIIS *apparabatur, deſerto tribunali, aſcendit ad ſacerdotes, unaque diſcubuit.* Immo ipſe Claudius aliquando curam Saliaris cænæ habuit, ſic enim Auguſtus apud Suetonium in vita Claud. cap. 4. ad Liviam ſcribit: *In præſentia tamen quibus de rebus conſulis, curare eum* (Claudium) *ludis Martialibus triclinium ſacerdotum, non diſplicet nobis.* Ludi Martiales hoc in loco ſunt feſti dies, quibus ancilia circumferebant. Cæterum hoc die, quo ancilia priſtino loco condebantur, non tantum convivia celebrabant, ſed omnibus illis diebus, quibus anciliorum circumgeſtatio fiebat, Feſtus in *Salios: Quibus* (Saliis) *per omnis dies, ubicunque manent, quia amplæ ponuntur cænæ, ſi quæ aliæ magnæ ſunt, Saliares appellantur.*

Per *omnes dies* non intelligendi omnes dies totius anni, ſed feſti anciliorum, id diſertè indicant verba *ubicunque manent*, nempe nocte in extructis manſionibus tempore feſti; hoc clarius patet, ſi correctionem celeberrimi Cuperi admittamus, qui pro *omnis* legit *ominis*; omnes enim feſti ſollennis dies ominoſi erant. Saliarium cænarum quoque meminit Horatius lib. 1. oda 37.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus; nunc SALIARIBUS
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat DAPIBUS, *ſodales.*

Ad hæc pſeudo-Acron & Porphyrio: *Saliares cænæ, quas Salii ſacerdotes faciebant, dicuntur ampliſſimi ſumtus fuiſſe; unde & in proverbio erat Saliares cænas dicere opiparas & copioſas.* Ultima hæc verba confirmat Cicero lib. v. ad Attic. epiſt. 9. *Cum*, inquit, *opipare Saliarem in modum epulati eſſemus.* Sic & Apulejus pro opipara cæna uſurpat lib. IV. Metam. *Equus meus tanta copia, & quidem ſolus potitus* SALIARES *cænaſſe* CÆNAS

cre-

crederet. & lib. VII. *pag.* 139. edit. Pricæanæ. *Proximum caſtellum petam, inde vobis* EPULAS SALIARES *comparaturus.* Hinc Auſonius epiſt. IX. ℣. 13. ad Paulum.

Nam mihi non Saliare epulum, non cæna dapalis.

Elegans de hac Saliorum cæna locus reperitur apud Symmachum lib. I. epiſt. 23. *Quid ſi ego cænas dapales,* & SALIARE CONVIVIUM *poſtulaviſſem, tu mihi menſas ſecundas, & ſcitamenta exiguæ lancis apponeres?* Porrò Dacerius obſervat, Salios etiam liberalius ſibi indulſiſſe, quando aliquis in illorum collegium inaugurabatur, & ad illa convivia inaugurationis refert Horatii verba lib. II. oda 14.

Abſumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus
Et mero tinget pavimentum ſuperbum
PONTIFICUM *potiore* CÆNIS.

CAPUT XXVIII.

Salia Virgines: Cincius Alimentus, ejusque scripta: Conductitia quæ? Glossæ corriguntur. Virgines Paludatæ: Virgines Salia sacrificant in Regia & in comitio: Festus corrigitur: Onuphrius Panvinius notatur: Regia Numæ ubi sita.

Quandoquidem de Saliis deque eorum saltationibus, vestitu, & carminibus satis superque disserui, non ἀπροσδιόνυσον erit, si hoc ultimo capite Salias Virgines describam; ex omni itaque antiquitate solus Festus mentionem Virginum Saliarium facit, dum ait: [1] SALIAS VIRGINES [2] *Cincius ait esse* [3] *conductitias*, [4] *quæ ad Salios adhibeantur*, [5] *cum apicibus* [6] *paludatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere* [7] *in regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.* Locus elegans, & qui dignus est, ut notis illustretur, sequentes igitur elucidationes adjicere placuit.

NOTÆ.

(1) SALIAS] Onuphrius Panvinius de Civit. Rom. cap. 31. legit *Saliares*,

res, quod tamen non neceſſarium mihi videtur, cum lectio *Salias* ab omnibus Feſti commentatoribus retineatur.

(2) CINCIUS] vocabatur Lucius Cincius Alimentus, celebris fuit auctor, quique varia ſcripſit, inter quæ liber *de Faſtis*, a Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 12. citatus, ex quo forſan hæc verba a Feſto deſumpta ſunt; in illo enim libro in nomina menſium inquirebat, & quales dies feſti in menſes ſingulos incidebant; proinde de Saliorum feſto in menſe Martio agens procul dubio hæc de Virginibus Saliis ſcripſit. Præterea Cincii librum *de re militari* laudat Gellius lib. XVI. Noct. Attic. cap. 4. & *Suaſionem Legis Fanniæ* Macrobius lib. 11. cap. 9. ſi modo lectio bene ſe habet, nam Meurſius pro *Cincius* mavult *Titius*.

(3) CONDUCTITIAS] quæ conducuntur ab aliis certa mercede *conductitiæ* appellantur, ſic Varro lib. 1. de R. R. cap. 17. *Operis conductitiis majores res adminiſtrare*. Gloſſæ Cyrilli: *Conductitius*, Μισθωσιμαῖος, μισθωτὸς. &

Gloſſarium Philoxeni: Μισθωσιμαῖος. *Conductitius, Locatorius.* Μισθωτὸς, *mernarius.* lego, *mercenarius.* Sic enim alio loco Cyrillus: *Mercenarius.* μισθωτὸς, μισοφόρος.

(4) QUÆ AD SALIOS ADHIBEANTUR] Onuphrius Panvinius l. c. *Quæ ad Salios coibant.* Præfero noſtram lectionem.

(5) CUM APICIBUS] quemadmodum Salii, de hoc tegumento capitis dixi cap. XI.

(6) PALUDATÆ] a *paluda* verbum *paludare,* teſte Varrone lib. VI. de L. L. hinc Imperator paludamento indutus dicitur a Varrone *paludatus* proficiſci. Unde *paludati* Feſto etiam ſunt *armati, ornati,* nempe *paluda* vel *paludamento.* Virgines Saliæ *paludatæ* in hoc Feſti loco ſunt Virgines *paludamento indutæ,* æquè ut Salii, quod optimè monuit præſtantiſſimus Grævius in præfat. Tom. I. *Theſ. Ant. Rom.* præfixa; Octavius Ferrarius vero in Analect. de re Veſtiar. cap. 5. & 39. negat, Salios fuiſſe *paludatos,* & illud Feſti *in morem Saliorum* adjungit *cum apicibus,*

bus, non vero ad præcedens *paludatas* refert.

(7) IN REGIA] heic enim Pontifex ſacrificaturus populum convocabat, Feſtus in *Regi ſacrorum*: *Regia dicta, vel quod ſacrorum cauſa tanquam in fanum a Pontifice convocati in eam convenirent, aut quod in ea ſacra a rege ſacrificulo erant ſolita uſurpari.* Porrò Virgines Saliæ non tantum in regia ſacrificabant cum Pontifice, ſed & cum Saliis regi Sacrorum ſacrificanti in Comitio adſiſtebant, docuit hæc me Feſtus: *Regifugium*, inquit, *dies notatur in Faſtis* VI. *Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit; quod falſum eſſe arguit Contius in libro Faſtorum, & Tullius de feriis, qui* SALIARES VIRGINES & SALIOS *adeſſe dicunt Regi Sacrorum cum facit ſacrificium in comitio.* In his verbis ſine dubio corrigendum *Cincius* pro *Contius*, Cincius enim *librum Faſtorum* compoſuit, ut mox dixi. Miror, hunc Feſti locum Onuphrio Panvinio non in mentem veniſſe, quando de Virginibus Saliis lo-

cum Feſti, quem illuſtramus, produceret, hic enim diſertè lectionem *Saliares ἀντὶ Salias* adſtrueret. Redeo ad Regiam, quæ alias domus Numæ dicta in ſacra via proxima templo Veſtæ fuit, ut tradit Aſconius in Orat. Ciceronis pro Milone, & pluribus adſtruit Ovidius lib. 1. Triſt. eleg. 1. ℣. 27.

Paruit; & ducens, hæc ſunt fora Cæſaris, inquit:
Hæc eſt a ſacris quæ via nomen habet.
Hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſervat & ignem:
Hic fuit antiqui regia parva Numæ.

Fragmentum ichnographicum hujus Regiæ exhibet Bellorius in *Veſtig. Vet. Rom.* tab. XVI.

FINIS.

IN-

INDEX

Scriptorum Veterum & Recentiorum, qui in hoc libro citantur, illustrantur & emendantur.

A

Abbas de la Charmoye *citat. p.* 119.
Abrahamius (Nicol.) *notat. p.* 146.
Acta Apostolica *illustrant. p.* 68. 93.
Aelius Lampridius *citat. p.* 96.
----- Spartianus *citat. p.* 37.
Aldrovandes (Ulys.) *citat. p.* 66.
Alexander ab Alexandro *citat. p.* 25. 117. 145. *notat. p.* 123.
Ambrosius *citat. p.* 98.
Anna Fabra *laudat. p.* 162.
Antistius Labeo apud Gellium *citat. p.* 47.
Antonius Gnipho apud Macrobium *citat. p.* 17.
Apicius *citat. p.* 139.
Apulejus *citat. p.* 150. 164. 165.
Aristenætus *citat. p.* 39.
Asconius Pædianus *citat. p.* 170.
Auctor de XIV. Reg. Urb. *citat. p.* 21.
Augustinus *citat. p.* 11. 39. *emendat. p.* 11.
Augustinus (Leonard.) *citat. p.* 48. 50. 62. 74. 103. 104.
Aulus Gellius *citat. p.* 47. 95. 140. 143. 167.
Aurelius Victor *citat. p.* 13. 39.
Ausonius *citat. p.* 165.

Bart-

B.

Barthius (Caſp.) *laudat. p.* 128.
Baudelotius d' Ervallius *notat. p.* 57.
Begerus (Laur.) *citat. p.* 59.
Bellorius (Joan. Pet.) *citat. p.* 56. 60. 170.
Beza (Theod.) *laudat. p.* 48. *notat. p.* 93.
Bianchini (Franciſc.) *citat. p.* 14. 72.
Boiſſardus (Jan. Jac.) *citat. p.* 31. 42.
Borrichius (Olaus) *citat. p.* 84. 97. 101.

C.

Caſaubonus (Iſaac.) *citat.* p. 41. *laudat.* p. 93. 124.
Caſſiodorus *citat. p.* 162.
Caſtalio (Sebas.) *citat. p.* 48.
Cato apud Nonium *citat. p.* 150.
Catullus *citat. p.* 111. 160.
Chevalier (Nic.) *citat. p.* 93.
Choulius (Gul.) *citat. p.* 56. 74.
Chronicorum lib. 1. *citat. p.* 39.
Cicero *citat. p.* 2. 100. 115. 116. 150. 164. *illuſtrat. p.* 46.
Claudianus *citat. p.* 109.
Critolaus apud Feſtum *citat. p.* 5. 12.
Cuperus (Gisb.) *laudat. p.* 69. 84. 90. 97. 99. 121. 164.

D.

Dacerius (Andr.) *laudat.* p. 115. 117. 130. 131. 165.
Dalechampius (Iac.) *notat.* p. 58.
Daumius (Christ.) *laudat.* p. 145.
Dausquius (Claud.) *citat.* p. 65. 137.
Dickinson (Edmund.) *laudat.* p. 122. *notat.* p. 131.
Digesta Juris civilis *citant.* p. 2. 67. 94. 156.
Dion Cassius *citat.* p. 27. 99. *explicat.* p. 123.
Dionysius Halicarnassæus *citat.* p. 2. 8. 9. 10. 13. 15. 23. 26. 28. 29. 44. 46. 48. 49. 50. 51. 52. 69. 70. 71. 72. 76. 85. 90. 91. 102. 104. 108. 111. 115. *illustrat.* p. 53. 54. *notat.* p. 70.
Donatus (Alex.) *citat.* p. 29. 108. *notat.* p. 139.
Douza (Ian.) *citat.* p. 152.

E.

Ennius *explicat.* p. 14.
Epistola Iudæ *illustrat.* p. 48. 49.
Epitome Liviana *citat.* p. 95.

F.

Faërnus *citat.* p. 162.
Ferrarius (Octav.) *citat.* p. 50. 168.
Ferretius (Joan. Bapt.) *citat.* p. 96.
Festus *citat.* p. 3. 18. 20. 29. 46. 65. 67. 70. 79. 80. 82. 83. 87. 113. 115. 121. 127. 131. 133.

133. 134. 138. 140. 141. 142. 143. 144. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 153. 154. 159. 160. 161. 163. 166. 168. 169. *defendit.* p. 54. *notat.* p. 148. *emendat.* p. 117. 142. 154. 157. 169. *illuſtrat.* p. 130. & *ſeq.* 164. 166. & *ſeq.* 168. *ſupplet.* p. 158.

Flavius Caper *citat.* p. 139.

Florus *citat.* p. 13. *illuſtrat.* p. 82.

Fruterius (Luc.) *citat.* p. 146. *laudat.* p. 149.

G.

Galenus *citat.* p. 54.

Gamucci (Bern.) *citat.* p. 80.

Gemmæ antiquæ *citant.* p. 21. 48. 50. 51. 62. 74. 103.

Geneſeos liber *citat.* p. 78.

Gloſſæ Cyrilli *citant.* & *explicant.* p. 6. 7. 8. 11. 38. 93. 114. 130. 134. 138. 150 160. 167. 168. *illuſtrant.* p. 38. 67. 68. 69. 116. *emendant.* p. 140. *notant.* p. 150.

— Philoxeni *citant.* p. 6. 7. 39. 48. 68. 94. *emendant.* p. 168. *tentant.* p. 6. *defendunt.* p. 8. *illuſtrant.* p. 140.

Gloſſarum Excerpta *citant.* p. 50.

Gloſſæ veteres Latinæ *citant.* p. 127.

Gorlæus (Abrah.) *citat.* p. 19.

Gothofredus (Dionyſ.) *laudat.* p. 130. 135.

Grævius (Ioan. Georg.) *laudat.* p. 109. 168.

Gruterus (Ian.) *citat. p.* 24. 31. 32. 33. 34. 35. 42. 43. 56. 74. 84. 96. 156.
Gutherius (Iacob.) *citat. p.* 36. 57. 73. 75.

H.

Hartungus (Ioan.) *notat. p.* 145.
Heinſius (Nic.) *laudat. p.* 22.
Heſychius *citat. p.* 7. 12. 54. 146.
Horatius *citat. p.* 111. 118. 129. 164. *explicat. p.* 165.

I.

Inſcriptiones antiquæ *citant. p.* 20. 22. 24. 25. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 42. 43. 84. 96. 98. 153. 156. *illuſtrant. p.* 30. 31. 32. *ſupplent. p.* 34. *defendunt. p.* 36.
Interpres Plutarchi *notat. p.* 48.
— vulgatus *citat. p.* 48.
Interpretes LXX. *citant. p.* 39. 69.
— Belgæ *citant. p.* 39.
Iornandes *citat. p.* 13.
Iſidorus *citat. p.* 2. 11. 51. 53. 65. 67. 93. 119. *notat. p.* 161.
Iulius Capitolinus *illuſtrat. p.* 38. *& ſeq.* 41. 47. 105. *citat. p.* 124.
— Obſequens *defendit. p.* 95. *citat. p.* 96.
Iunius (Hadr.) *notat. p.* 85.
— (Franciſ.) *notat. p.* 39. *citat. p.* 154.
Iuſtinus Philoſophus *emendat. & explicat. p.* 106.
Iuvenalis *citat. p.* 45. *explicat. p.* 105.

K.

Kalendaria vetuſta *citant.* *p.* 84. 85. 86. 88. 89. 99.
Kircherus (Athan.) *citat.* *p.* 36.

L.

Lactantius *citat.* *p.* 25. 103. 140.
Lambecius (Pet.) *citat.* *p.* 99.
Laurus (Iac.) *notat.* *p.* 100. 101.
Lipſius (Iuſt.) *notat.* *p.* 51. *citat.* *p.* 95. 154. 159.
Loſchi (Alfon.) *notat.* *p.* 88.
Lubinus (Eilh.) *notat.* *p.* 105. *citat.* *p.* 127.
Lucanus *citat.* *p.* 46. *illuſtrat.* *p.* 102.
Lucianus *citat.* *p.* 18. 44. 107.
Lucilius *citat.* *p.* 14. *tentat.* *p.* 152.
Lucretius *citat.* *p.* 159.

M.

Macrobius *citat.* *p.* 17. 123. 126. 139. 140. 167. *tentat.* & *explicat.* *p.* 122.
Malvaſia (Car. Cæſ.) *notat.* *p.* 31.
Marlianus (Barth.) *citat.* *p.* 108.
Marmora Felſinea *citant.* *p.* 18. *illuſtrant.* *p.* 31.
Marmorea fragmenta *citant.* *p.* 55. 56. 61. 63. 74.
Martianus Capella *citat.* *p.* 140.
Martinius (Matth.) *citat.* *p.* 128. 155.
Maſurius Sabinus apud Macrobium *citat.* *p.* 126.

Melampus *citat. p.* 12.
Menagius (Ægid.) *citat. p.* 84.
Merula (Paul.) *notat. p.* 54. *citat. p.* 122. 130. 152. 157. *laudat. p.* 152.
Meurſius (Joan.) *citat. p.* 147. 155. 167.
Minucius Felix *citat. p.* 15. 53. 89.
Moyne (Stephanus le) *notat. p.* 5. *citat. p.* 78.
Muretus (Anton.) *citat. p.* 65. *notat. p.* 112.

N.

Nanſius *citat. p.* 146.
Nardinus (Fam.) *citat. p.* 101. *laudat. p.* 109.
Neapolis (Carol.) *notat. p.* 66. 84.
Nonius Marcellus *emendat. p.* 67. 152. *citat. p.* 130. 138. 150. *illuſtrat. p.* 159. *notat. p.* 160.
Nonnus *explicat. p.* 145.
Noris (Henr.) *citat. p.* 19.
Nova Reipublicæ literariæ *citant. p.* 119.
Nummi veteres *citant. p.* 19. 56. 59. 64. 70. 72. 73. 74. 91. *illuſtrant. p.* 57. 58. 59. 60.

O.

Octavius Herſennius apud Macrobium *citat. p.* 17.
Onomaſticon vetus *citat. p.* 38. 39.
Oudanius (Joach.) *citat. p.* 57. 58. 59. 140.
Ovidius *citat. p.* 3. 21. 65. 72. 79. 80. 82. 83. 84. 89. 121. 170.

P.

Pancirollus (Guido) *citat. & notat. p.* 21.
Panvinius (Onuphr.) *citat. p.* 23. 43. 79. 166. 168. *notat. p.* 169.
Papinus Statius *citat. p.* 29. 78. *explicat. p.* 42. 103.
Pareus (Philip.) *citat. p.* 147.
Patinus (Carol.) *citat. p.* 70. 91.
Paulus Festi epitomator *citat. p.* 149.
Perizonius (Jac.) *laudat. p.* 158.
Petitus (Petr.) *citat. p.* 75. *notat. p.* 76.
Phavorinus *citat. p.* 146.
Pierius ad Virgilium *citat. p.* 64.
Pighius (Steph. Vin.) *citat. p.* 52.
Pignorius (Laur.) *citat. p.* 97.
Plautus *citat. p.* 130. 133. 155.
Plinius *citat. p.* 106. 111.
Plutarchus *citat. p.* 3. 4. 48. 49. 53. 56. 68. 71. 72. 78. 81. 85. 90. 91. 107. 110. 120.
Polemon apud Festum *notat. p.* 4. 12.
Pollux *citat. p.* 142.
Polybius *citat. p.* 86.
Popma (Auson.) *citat. p.* 155.
Posidonius apud Suidam *citat. p.* 12.
Priscianus *citat. p.* 14. 149.
Procopius ad Esaiam *citat. p.* 78.
Propertius *citat. p.* 80.
Publius Victor *citat. p.* 20. 21. 79. 98. 101.

Q.

Quintilianus *citat.* p. 118. 138. 150. 156. 161. *illuſtrat.* p. 127.

R.

Rainſſant (Theod.) *citat.* p. 59.
Regum liber I. *citat.* p. 69.
Reineſius (Thom.) *citat.* p. 20.
Roſinus (Joan.) *notat.* p. 22.
Rubenius (Albert.) *citat.* p. 52.
— (Philip.) *citat.* p. 54.
de Rubeis (Joan. Bapt.) *notat.* p. 62.
Rubeus (Octav.) *citat.* p. 24.
Rutgerſius (Jan.) *citat.* p. 159.

S.

Sagittarius (Caſp.) *citat.* p. 106.
Salmaſius (Claud.) *citat.* p. 38. 97. 98. 105. 106. 142.
Sanctius (Franc.) *citat.* p. 132.
Savaro (Jac.) *citat.* p. 119.
Scaliger (Joſeph.) *citat.* p. 35. 51. 65. 66. 113. 114. 131. 133. 134. 152. 154. 156. 159. *laudat.* p. 130. 132. 142. 145. 151. 158. *notat.* p. 112.
Schefferus (Joan.) *citat.* p. 95.
Scholia MS. Horatii *citant.* p. 4. 68. *emendant.* p. 19.

Scholiastes vetus Horatii *citat. p.* 3. 9. 10. 68. 164.
— Juvenalis *citat. p.* 45.
Seneca *citat. p.* 110.
Servius *citat. p.* 3. 9. 13. 16. 17. 27. 28. 29. 40. 51. 65. 79. 82. 85. 90. 94. 95. 157. *emendat. p.* 28. *notat. p.* 29.
Sextus Rufus *citat. p.* 20. 21. 98.
Siccama (Sibrand.) *citat. p.* 33.
Sidonius Apollinaris *citat. p.* 118.
Sosipater Charisius *citat. p.* 86.
Spanhemius (Ezech.) *laudat. p.* 123.
Sponius (Jac.) *citat. p.* 29.
Suetonius *citat. p.* 49. 87. 101. 163. *explicat. p.* 163.
Suidas *citat. p.* 12. 13.
Symmachus *citat. p.* 165. *explicat. p.* 118.

T.

Tacitus *citat. p.* 87. 124.
Terentius Scaurus *citat. p.* 136.
Tertullianus *citat. p.* 15. 122. 154.
Theophrastus *citat. p.* 145.
Tomasinus (Jac. Phil.) *notat. p.* 199.
Turnebus (Hadrian.) *citat. p.* 14. 114. 135. 157. *notat. p.* 40.

V.

Valerius Maximus *citat. p.* 25. 42. 100.
Valesius (Henr.) *laudat. p.* 28.

Varro *citat. p.* 2. 17. 28. 29. 53. 65. 66. 75. 108. 117. 122. 125. 131. 134. 140. 154. 155. 156. 167. 168. *illustrat. p.* 109. 116. 126. 129. 132. *& seq.* 138. *emendat. p.* 143.
Velius Longus *citat. p.* 161.
Vicus (Æneas) *citat. p.* 59.
Virgilius *citat. p.* 40. 50. 64. 78. 94. 111.
Ulpianus *citat. p.* 2.
Vorstius (Joan.) *citat. p.* 153.
Vossius (Ger. Joan.) *citat. p.* 122. 127.
—— (Isaac.) *citat. p.* 112. *laudat. p.* 113.
Ursinus (Fulv.) *citat. p.* 58.

FINIS.

INDEX RERUM.

A.

Ædes *Martis Gradivi ubi sita.* p. 20.
Ædem Tempestatis quis extruxit. p. 21. 22.
Agonia qualis dies. p. 126.
Amptruare. p. 127.
Ancile unde dictum. p. 65. 66.
— *per I scribendum.* p. 64.
— *quale scutum.* p. 67.
— *eorum figura describitur.* p. 70. & *seq.*
— *depingitur ex antiquis monumentis.* p. 71. 73. 74. 75.
— *e cœlo delapsum tempore Numæ.* p. 76. & *seq.*
— *eorum festum quando celebratum.* p. 84. 85. 86.
— *Ancilia arma annalia dicta.* p. 84.
— *sponte mota bellum portendebant.* p. 95.
— *servabantur in sacrario Martis.* p. 94. 105.
— *in Mansionibus & domo Pontificis maximi tempore festi.* p. 96.
Antigerio quid significat. p. 127. 128.
Apices Saliorum depicti. p. 55. 56. 57. 59.
Armilustrium. p. 108. 109.
Auctores varii Saliorum referuntur. p. 12. 13. 14. 15.

Axamenta unde dicta. p. 114. 115.
—— *qualia carmina erant.* p. 115.
—— *erant valde obscura.* p. 118.
—— *exarata priscâ linguâ Latinâ.* p. 119.
—— *in iis Deorum & Imperatorum nomina cantata.* p. 122. 123. 124.

C.

Cœnæ Saliares. p. 163.
—— *erant lautissimæ & maximi apparatus.* p. 164. 165.
Cante pro canite. p. 129.
Cerus. p. 130. 131.
Ceruses. p. 132. 134.
Comitium qualis locus. p. 108.
Consul non poterat esse Salius. p. 26.
Coronæ sutiles. p. 106.
Cume. p. 136. 137.
Curia Saliorum. p. 100.
—— *ubi sita.* p. 101.
Cusiones quinam. p. 133.

D.

Dapatilia. p. 133.
Deorum Deus quis. p. 122.
Dialis quis. p. 7. 8.
Διοπετὲς. p. 68.
Duonus. p. 132. 134.

INDEX

E.

Etymologias inveſtigare neceſſe. p. 2.
Exanclare. p. 138.

F.

Filiæ Saliorum non poterant eſſe Virgines Veſtales. p. 47.
Flaminica Dialis non pectebat ſe in feſto anciliorum. p. 89.

G.

Graci non habuere Salios. p. 15.

H.

Haſtæ Martiæ. p. 95.
Herculani Auguſtales qui. p. 36.

I.

Incilia. p. 67.
Inſicia quid. p. 138. 139.
Inſulæ Saliares. p. 111.

K.

Κυρβεῖα quid. p. 54.

Lituus

L.

Lituus Romuli ubi ſervatus. p. 100.
Lucetius unde dictus & quis. p. 140.
Lucius Cincius Alimentus quid ſcripſit. p. 167.

M.

Magiſter Saliorum. p. 41. 42.
Mamurius anciliorum artifex. p. 79. 80.
—— *ejus nomen carmine Saliari cantatum.* p. 121. 140.
Mamuralia qui dies. p. 85. 99.
Manſiones quænam ædificia. p. 97. 98.
Manus. p. 131.
Manui. p. 141.
Mars unde Gradivus cognominatus. p. 18. 19.
Miniſtri Saliorum. p. 104.
Molucrum quid. p. 142.

N.

Νεοὶ ἀργυφοὶ Αρτέμιδος *in Actis Apoſt. quid ſignificant.* p. 93.
Nubere non licitum tempore feſti anciliorum. p. 89.
Numa primus auctor Saliorum Palatinorum Romæ. p. 13.
—— *carmina Saliaria compoſuit.* p. 116.

O.

OE loco I sæpe ponitur. p. 147.

P.

Pa & Po. p. 144.
Παλμὸς *apud Græcos quid.* p. 12.
Paludatus. p. 168.
Pennatæ & impennatæ agnæ quid. p. 144. 145.
Pescia. p. 146.
Pilani quinam. p. 147.
Pilei Saliorum apices dicti. p. 53.
Pilumnoe Poploe. p. 147.
—— *unde dicti.* p. 148.
Pontifex Salius quis. p. 43.
Præceptat. p. 148.
Præliares dies qui. p. 87.
Præsul Saliorum. p. 38.
Prætor non poterat esse Salius. p. 25.
Promenervat unde ortum. p. 149.
Prosapia ἐνιαῦς. p. 150.

R.

Redamptruare quid. p. 151. 152. 153.
Regia Numæ ubi sita. p. 78. 170.

S.

S. pro R à veteribus positum. p. 134. 155. 156.
SS. pro Z. antiquitus. p. 162.
Sacrarium qualis locus. p. 93. 94.
Salii dicti à saliendo. p. 2. 3.
— non à Salio Arcade. p. 4.
— nec à Saone. p. 4. 5.
— nec à עלה vel עלל p. 5.
— ὑμνωδοὶ. p. 6.
— quales Sacerdotes. p. 9. 10.
— Herculis & Martis Gradivi Sacerdotes. p. 17. 18.
— Palatini. p. 23. 24.
— Collini a quo instituti. p. 27.
— Pavorii & Pallorii. p. 28.
— Quirinales sive Agonales. p. 28. 29.
— Albani unde dicti. p. 33.
— Hadrianales exploduntur. p. 34.
— Herculani Augustales exploduntur. p. 35. 36.
— Antoniniani. p. 37.
— e patriciis eligebantur. p. 44. & seq.
— patrimes & matrimes. p. 46.
— an trabeas habuerint. p. 50.
— depicti ex antiquis monumentis. p. 59. 60. 61. 63.
— pugionibus & virgis ancilia pulsabant. p. 90. 91.
— quomodo ancilia gestabant. p. 102. & seq.

— *conjiciebant coronas in pulvinar Martis.* p. 105.
— *ubi ſaltabant.* p. 108.
— *quo modo ſaltabant.* p. 110. 111.
— *an Saliſubſuli dicti.* p. 112.
Saliſſatio quid. p. 11.
Salitores & Saliſatores quinam. p. 10. 11.
Saturnus, Satirnus, Satunnus unde dictus. p. 153. 154.
Seſopia quid. p. 155.
Sevir poterat eſſe Salius. p. 24.
Sonivius. p. 157.
Stilo (Lucius Ælius) ſcripſit explanationem carminum Saliorum. p. 143.
Subſiles quid. p. 113.

T.

Tame. p. 158.
Tintinnare. p. 159. 160.
Topper. p. 161.
Trabea parva quare Virgilius dixit. p. 51.
— *Veſtis regum.* p. 51.
— *ejus varia genera.* p. 51. 52.
Tripudium Sonivium quid. p. 157.
Tullus Hoſtilius primus auctor Saliorum Collinorum. p. 26. 27.
Tutulus & Tutulatus quid. p. 53.

RERUM.

V.

Vates Saliorum. p. 39.
Veſtes Saliorum. p. 48. *& ſeq.*
Virgines Saliæ quæ. p. 166. *& in præf.*
— *earum officium.* p. 169.

Z.

Z. In carmine Saliari. p. 161.

FINIS.

A101 1475775